
LUDWIG BARTHOLOMÆ
Edler Herr von HERTTENSTEIN
des H.R.R. Ritter, Comes Palatinus Caesareus,
der Freyen Reichs-Stadt Augspurg
Raths-Consulent u. Syndicus, auch dero
selben Deputatus zu denen Reichs-
Creyss- und Münz-Conventen, etc.

4° H
49

von Halder
N. 629.



alfgang ſc: Berl:

COMMENTATIO
DE
PERSONIS
VVLGO
LARVIS SEV MASCHERIS
VON DER
CARNAVALS-LVST
CRITICO HISTORICO
MORALI ATQVE IVRIDICO
MODO DILIGENTER CONSCRIPTA

A

CHRISTOPH· HENR· NOB· DOM· DE BERGER
COMITE PALAT· CAESAR· POTENT· POL· REGIS AC ELECT· SAX· IN SVMMO PROVOCAT· SENATV CONSIL· ANTECES CVRIAE ELECT· PROVINC· CONSIST· ECCLES· SCABINAT· ET ORD IVRID· IN ACADEM· VITEMB· ITEMQ· IVDICII DVCALIS IN MARCH· INFERIOR· LVSATIAE ASSESSORE



EIGENTHUM DER STADT AUGSBURG

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE
REGI
PRINCIPI ELECTORI ATQVE
DOMINO
DOMINO
AVGVSTO II
REGI POLONIARVM MAGNO DVCI LITHVANIAE RVSSIAE PRVSSIAE MASOVIAE SAMOGITIAE KIOVIAE VOLHINIAE PODOLIAE PODLACHIAE LIVONIAE SMOLENSCIAE SEVERIAE ZERNICHOVIAE ET RELIQVA

DVCI SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
ET MONTIVM ANGRIAE ET VEST
PHALIAE S· R· I· ARCHIMARESCHAL
LO ATQVE ELECTORI LANDGRA
VIO THVRINGIAE MARCHIONI MIS
NIAE ET VTRIVSQVE LVSATIAE
BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI COM
TI DIGNITATE PRINCIPALI HENNE
BERGICO COMITI MARCAE RAVEN
BERGAE ET BARBY DYNA
STAE RAVENSTEINII
ET RELIQVA

SERENISSIME POTENTISSIMEQVE
R E X
PRINCEPS ELECTOR
DOMINE CLEMENTISSIME

PErcellor TVAE numine MAIESTATIS totus, cum TE epiſtola hac ſupplex adeo, tenuique libro ſubiectiſſimum TIBI obſe-

obſequium probare ſtudeo. At illa ipſa, quae undique lucidiſſimos radios ſuos ſpargit, clementia TVA, cum diuina ſapientia atque incredibili prudentia coniuncta, conſolatur miſerum ac erigit me, ſpemque facit, fore, ut abs TE libellum illum meum ne repellas. Agit iſte de perſonis, atque eo minus, ut exiſtimabunt plerique, dignus uidebitur, qui ſplendidiſſimis oculis TVIS offeratur. Clamabunt, HADRIANVM, Imperatorem, iuſta excitatum indignatione, theatra Romae demolitum eſſe, quod SPARTIANVS de illo literis conſignarit. At idem tamen commemorat, florentes il-

lum gymnicos ludos conſeruaſſe, ſic, ut haud obſcuro declarauerit indicio, talibus quidem oblectationum generibus in ſe ſuaque natura nihil dedecoris, iniuſtiue contineri. Ecquid autem de tanta ſapientia TVA nobis promittere non poterimus, qui eiuſmodi quidem animorum relaxationes TVAE ditioni ſubiectis non inuides, ſed prudentiſſimis ſimul circumſcribis terminis, ne damno ſint reipublicae, et uitiorum praeterea aditus iuſtitia praecludis legum, quas perrumpi impune non liceat. Accipe igitur ſerena fronte commentarium, qui illarum iura deliciarum interpretatur, et, quamli-

bet exiguum, non alienum tamen ab hoc inſtituto, induſtriae meae ſpecimen ſuſcipe ac tuere, quod MAIESTATI TVAE audeo conſecrare. Ita Deus ſaluum TE conſeruet quam diutiſſime, ut, rebus domi foriſque florentibus, Poloniae Saxoniaeque TVAE ſera poſteritas ſapientiae, prudentiae, iuſtitiae, admirabilis denique clementiae TVAE praeſidiis omni ex parte ſummis perfruatur

SACRAE REGIAE MAIESTATIS TVAE

Vitembergae V. Id. Septembreis
CIↃ IↃ CCXXIII

humilimus
CHRISTOPHORVS HENRICVS
NOB· DOM· DE BERGER

AMICO LECTORI S. P.

NOn defuturi ſunt homines, qui me, originem, ritus ac iura perſonatorum percenſentem, Morycho, quod in prouerbio Graecis

)(dici-

dicitur, ineptiorem eſſe, putabunt, propterea, quod tempus, oleum atque operam, in rebus inutilibus, nec neceſſariis, conſumam, et, cum domi ſint, quae agam ſtudioſus, ſeueriora, foris ridicula fere atque inania exſequar. Verum, hi certe futuri ſunt, qui, cum ipſi, perpetuo ueluti ſomno ſepulti, et otio marceſcentes, nihil laboris, niſi quod ſuſtinere coguntur uel inuiti, in ſe recipiant, aliorum induſtriam limis aſpiciant oculis, ſuſpenſis contemnant naribus, et, ſi quid eius fieri a ſe poſſit, prorſus aſpernentur. Vtinam uero cogitarent iſti, utrum meliora in lucem proferre, an nihil ſolidi ex ingenio ſuo de-

promere queant. Sic ſane futurum eſſet, ut, et ſecum habitent, atque a calumniis animo temperent. Triſtiora deſiderant Catones alteri, neſcio quo de coelo nuperrime delapſi, ſed qui quotidie, in epulis, ludiſque ac aliis uoluptatibus, uitam tranſigunt. Vtiliora expetunt Ariſtarchi ridiculi, at qui nihil quicquam ad commoda publica, uel poſſint addere, uel uelint. Ego uero exiſtimarem, praeſtare, pariter ardua ſtudia iucundioribus permiſcere, nec quenquam de huius Commentationis utilitate ullo iure dubitare, ſaltem illis in locis, ubi perſonatorum coetus, uel inſtituuntur, uel tolerantur.

tur. Quod ſi uidebunt alii, hanc me materiam ex artis Criticae pariter ſubſidiis, et hiſtoriarum monumentis, atque omnis moralis doctrinae fundamentis, principiiſque iuris Ciuilis ac Saxonici, deduxiſſe, alta illico clamabunt uoce: Cernite Polyhiſtora, conſiderate, quam omnis generis eruditionem, non ſolum affectet, ſed iactitet etiam. Animaduertite quoque, ut alienis pennis uolitet, obſeruate praeterea, quam compilata ſint omnia, et, tantum non ui facta, extorta et cumulata. At enim ſciant iſti Zoili, nos nihil diffiteri amorem omnium ſcientiarum elegantium, et, quamuis

gloriam

gloriam in illis aucupari nolimus, tamen perſpexiſſe pridem concordiam illarum et cohaerentiam, ob quam nihil ſolidi in una ſine alterius cognitione unquam praeſtari queat. Omni igitur ſtudio damus operam, ut ab ouo ueluti, quod dicitur, reuocemus cuncta, atque ab origine deriuemus. Perpendant ulterius, quod nihil diſſimulemus, unde arceſſita ſint, quae ex eruditorum operibus, quibus uſi ſumus, depromſimus. Neque enim, qui publicae luci aliquid expoſuerunt, ſibi edidiſſe putandi ſunt, ſed commodis et uſibus publicis, quorum doctrinam laudibus

euehimus, nihil cuiuſquam meritis, ius praeter et fas, derogamus. Hoc, ſi quis opinetur, uariae doctrinae iactationem eſſe, minus uero interiori ac ſolicito ſtudio aſcribat, eum merito abundare ſuo ſenſu permittimus, aperta tamen dicimus fronte, praeiudicatis opinionibus laborare. Iconas autem, quas excudendas curauimus, felici caſu nacti, ita damus, quemadmodum accepimus, et ne hiſtrionum quidem nomina immutari paſſi ſumus, licet mendis laborare uiderentur. Antiquitatem omnes ſpirant ſimplicem, ac priuatorum patrumfamilias cultum, non commen-

mentitium, et ad hodierni decoris ornamenta effictum, quales ab initio exhibuit DACERIA, quas ſimpliciores deinceps propoſuit, nec tamen omnes, ſed ex ſingulis comoediis paucas, nec ad actionum uerborumque propoſitorum ſenſum accommodatas ſemper. Quod certe experientur illi, qui geſtus hiſtrionum cum ſingularum ſcenarum uerbis compa rauerint. Atque haec omnia Lectoris arbitrio diiudicanda libere relinquimus. Ceterum mendas typographorum, quas in noſtra, propter munera, nobis impoſita, abſentia irrepſiſſe deprehendimus,

dimus, praecipuas annotauimus pariter, atque indicauimus libere, leuiores Lectoris humanitas et aequitas emendabit, ſperamus, atque excuſabit. Tu, LECTOR BENEVOLE, uale, ac perſonatorum coetus uel uita, uel, ſi frequentare uelis aut cogaris, prudenter Te ubiuis gere, ac noſtros conatus aequi bonique conſule.



COMMENTATIO DE PERSONIS SEV LARVIS, CRITICA, HISTORICA, MORALIS, AC IVRIDICA.

INGRESSIO.

§. I.

ESt quoddam anniuerſariae ſolemnitatis genus, quod uulgo *Carnaual* uocatur, publici ritus apparatu diſtinctum, et tanto Regum, Principum, Rerumque publicarum ſtudio cultum ac percelebratum, ut eius memoria, tanquam ſuſcepto inſtitutae celebritatis certamine, longe lateque recolatur, *De perſonis*

et omnis fere, qua patet, Europae amorem, hilaritatis exemplo, excitare ac complecti uideatur. Cuius honorem quidem iniquitas temporum non parum minuunt, qua Italia, festae huius laetitiae praecipua sedes ac magistra, belli armorumque metu perculsa, saluti potius consulere, quam e spectaculorum pompa uoluptatem capere studet, ob eamque rem arma parare, ac uicinis succurrere, quam ludos facere, mauult: tamen alibi terrarum gentiumque de dignitate illius adeo nihil detrahitur, ut maioris existimationis aulae in horum exornatione solemnium multum operae curaeque ponant, factoque sumtu, splendorem eius et magnificentiam augeant, et exoptatae oblectationis ceremonia et cultu gaudeant, uehementerque laetentur. Quod si non in ultima prudentiae laude ponendum est consilium, cuius ratio eo pertinet, ut tempori, quoad eius fieri possit, inseruiatur: operae pretium facturi uidemur, siquidem ex ipsius huius, quod tanto, non solius forte uulgi, sed illustrium etiam, summorumque hominum fauore, et frequentia, et tot tantisque impensis, ac tanto celebratur ornatu, temporis recordatione aduentuque disserendi materiam capiamus, tanto iucundiorem, nisi nos omnia fallunt, futuram, quanto magis ipsa temporis celebritas ad iucunditatem delectationemque singularem comparatur.

§. II.

ordine acturi Quo uero res ordine peragatur, constitutum nobis deliberatumque est, dare operam, ut huius solemni-

lemnitatis non ſolum origo, ex perueſtigatione cum nominis, tum maxime rei ipſius, critico hiſtoricoque more inſtituta, altius quidem repetita, breuius tamen et perſpicue exponatur, ſed idem etiam argumentum modo, qui Iuriſconſultum deceat, et uberiore explanatione pertractetur, idque ea docendi lege, ut, quid hoc loco, et moralis ratio, et iuris diſciplina, praecipiat, diligenter expendatur.

§. III.

Tali diſputandi exemplo, nemo quiſquam, quem ſciamus, nobis praeiuit, certe nemodum ſtudioſe quaerendo nobis repertus eſt, quem rei huius menſuram impleſſe comperiamus. Equidem non ignoro, AGESILAVM MARISCOTTVM, *I. V. D.* et *Nuncium quondam Apoſtolicum in Gallia*, *patricium Bononienſem*, et PAVLI V. *Cubicularium*, ſingulari, neque inſcito, quod nouem capitibus conſtat, opuſculo, perſonas et laruas, earumque apud ueteres uſum et originem, erudite tradidiſſe. Sed omni hoc labore ita perfungitur, ut ea tantum reſpiciat et tractet, quae ad notationes quaſdam uocabulorum, et hinc inde prouerbiorum, ad hanc materiam attinentium, ad antiquitatem item ac ritus perſonarum in ſcenis, ſacris celebritatibus, epulis et commeſſationibus, triumphis, bellis, luctu, Caeſarum ἀποθεώσει, uirorum illuſtrium funeribus, pertinere uidentur. De ipſis uero ſolemnibus, quae Carnauale dicuntur, eiuſque morali ratione, et iure, ne mentio quidem fit, ſi a duobus, iiſdemque extremis, capitibus diſceſſeris, quibus,

praeeuntes habemus Mariſcottum.

 bus,

et omnis fere, qua patet, Europae amorem, hilaritatis exemplo, excitare ac complecti uideatur. Cuius honorem quidem iniquitas temporum non parum minuunt, qua Italia, festae huius laetitiae praecipua sedes ac magistra, belli armorumque metu perculsa, saluti potius consulere, quam e spectaculorum pompa uoluptatem capere studet, ob eamque rem arma parare, ac uicinis succurrere, quam ludos facere, mauult: tamen alibi terrarum gentiumque de dignitate illius adeo nihil detrahitur, ut maioris existimationis aulae in horum exornatione solemnium multum operae curaeque ponant, factoque sumtu, splendorem eius et magnificentiam augeant, et exoptatae oblectationis ceremonia et cultu gaudeant, uehementerque laetentur. Quod si non in ultima prudentiae laude ponendum est consilium, cuius ratio eo pertinet, ut tempori, quoad eius fieri possit, inseruiatur: operae pretium facturi uidemur, siquidem ex ipsius huius, quod tanto, non solius forte uulgi, sed illustrium etiam, summorumque hominum fauore, et frequentia, et tot tantisque impensis, ac tanto celebratur ornatu, temporis recordatione aduentuque differendi materiam capiamus, tanto iucundiorem, nisi nos omnia fallunt, futuram, quanto magis ipsa temporis celebritas ad iucunditatem delectationemque singularem comparatur.

§. II.

ordine acturi Quo uero res ordine peragatur, constitutum nobis deliberatumque est, dare operam, ut huius solemni-

lemnitatis non ſolum origo, ex perueſtigatione cum nominis, tum maxime rei ipſius, critico hiſtoricoque more inſtituta, altius quidem repetita, breuius tamen et perſpicue exponatur, ſed idem etiam argumentum modo, qui Iuriſconſultum deceat, et uberiore explanatione pertractetur, idque ea docendi lege, ut, quid hoc loco, et moralis ratio, et iuris diſciplina, praecipiat, diligenter expendatur.

§. III.

praeeuntes habemus Mariſcottum.

Tali diſputandi exemplo, nemo quiſquam, quem ſciamus, nobis praeiuit, certe nemodum ſtudioſe quaerendo nobis repertus eſt, quem rei huius menſuram impleſſe comperiamus. Equidem non ignoro, AGESILAVM MARISCOTTVM, *I. V. D.* et *Nuncium quondam Apoſtolicum in Gallia*, *patricium Bononienſem*, et PAVLI V. *Cubicularium*, ſingulari, neque inſcito, quod nouem capitibus conſtat, opuſculo, perſonas et laruas, earumque apud ueteres uſum et originem, erudite tradidiſſe. Sed omni hoc labore ita perfungitur, ut ea tantum reſpiciat et tractet, quae ad notationes quaſdam uocabulorum, et hinc inde prouerbiorum, ad hanc materiam attinentium, ad antiquitatem item ac ritus perſonarum in ſcenis, ſacris celebritatibus, epulis et commeſſationibus, triumphis, bellis, luctu, Caeſarum ἀποθεώσει, uirorum illuſtrium funeribus, pertinere uidentur. De ipſis uero ſolemnibus, quae Carnauale dicuntur, eiuſque morali ratione, et iure, ne mentio quidem fit, ſi a duobus, iiſdemque extremis, capitibus diſceſſeris, qui-

bus, ſe referendo tantum ad haec et excuſando, quaedam ſcriptor exponit. In uulgus editus eſt libellus primum Bononiae A. CIↃ. IↃC. VII, et recuſus Romae A. CIↃ. IↃC. XXXIX. poſtremo Parmae A. CIↃ. IↃC. XCI. ſub prelum reuocatus, et in *Miſcellaneorum Italicorum eruditorum T. 2.* a GAVDENTIO ROBERTO relatus quidem, ſed mendis ſimul, Graecae in primis ſcripturae, collectoris incuria, contaminatus ac corruptus. Deceſſit uir eruditiſſimus, praecipiti caſu grauiter prolapſus, cum uixiſſet unum et quadraginta annos, anno ſeculi ſuperioris octauo decimo, de quo legas, licet, IOAN. BAPTIST. LAVRI *Orcheſtram*, *pag. 51.*

§. IV.

Pacichellium.

Mariſcotti ueſtigiis inſtitit ABB. IOAN. BAPTISTA PACICHELLIVS *I. ac Th. C. Sereniſſ. Parmae et Placentiae Ducis in aula atque regno Neapolis Ablegatus*, *apud Vbios in ampliſſimis inſtitutis*, *orbi pacando*, *Comitiis Apoſtolicae Legationis Exauditor Generalis*, quibus titulis, operi praefixis, ſemet ipſum diſtinguit. Edidit, quod in otio Romano Caniculari ſcripſit, *Schediaſma Iuridico-Philologicum Tripartitum*, quo de Capillamentis, uulgo Perruquen, et Chirothecis, uulgo Guantis, et uernacula lingua Handſchuen, et principio de laruis, ſeu, quas uocant, Maſcheris, egit. Trium illarum partium prima, quae de laruis inſcribitur, octo continetur capitibus, quae ſi percurras, paucae erunt paginae, quae argumentum propoſitum perinde ac fieri par erat, uix exequantur. Equidem Pacichellio omnem

omnem doctrinae laudem non derogo, ſed ordinem in eius inſtituto, et diſponendi iudicium deſidero, et, ſi rem ipſam acrius contemplor, intelligo, eum Mariſcotti fontibus hortulos ſuos irrigaſſe, et aliena cecidiſſe uineta, adeo, ut pleraque, quae a Mariſcotto mutuatus non eſt, confuſius perturbateque proponat. Quod ſi ipſius doctrinae, quam adhibuit auctor, rationem habeamus, et momenta circumſpiciamus, praecipuam eius uim in eo conſumi cognoſcemus, ut uerba quaedam, quae cum laruis paria facere uideantur, ſolertius conquirantur, et explicentur, laruarumque origines tam a ueterum Bacchanalibus, quam ab hiſtorico uſu, quoquo modo ducantur. Alioqui, quae de prohibitione harum laruarum, permiſſione illarum et priuilegiis ediſſeruntur, tam promiſcuo et confuſo ſcribendi genere cumulantur, ut ima ſummis mixta ſaepius deprehendas, et in extricandis tam uariarum, quae undecunque corraduntur, laudationum, qua Iuridicarum, qua Politicarum, ſenſibus, nonniſi fruſtra deſudes. Lucem adſpexit libellus Neapoli A. CIↃ. IↃC. XↃIII.

§. V.

Antiquiorum, qui argumento huic quandam dederunt operam, ſcriptorum memoriam ſi replicemus, *alios, eosque antiquos,* in primis commemorandus erit A. CODRVS VRCEVS, in cuius operibus, quae Baſileae A. CIↃ. IↃ. XL. uno coniuncta uolumine exierunt, et ſigillatim poſt ſermonum eius collectionem *p. 279. ſqq.* breuis quaedam *epiſtola, ad* IOANNEM GARZONEM data, comparet. Hac

plures perſonae notiones ſcriptor enarrat, et, quemadmodum idem, quod larua, uſu ueterum perſona ſignificaret, uberius docet. Quem quidem idcirco potiſſimum in medium proferimus, quod eum uidere et euoluere meminimus, quem uidere ſibi non licuiſſe, tam Mariſcottus, quam Pacichellius ſunt conqueſti. Quorum alter, *in uotis quidem*, inquit, *ut uiderem, habui, ſed non in fatis.* Alter autem, quam diximus epiſtolam, una cum uetuſta quadam eadem de re commentatione Ariſtophanis cuiuſdam Byzantii, ab *Athenaeo libro XII.* praeter ceteros laudati, aut nimium a ſe remota, aut ſatis quoque diſtracta, aetate forſan protritam eſſe, falſo exiſtimauit. Nec uero praetereundum eſt ſtudium CAELII CALCAGNINI, *Ferrarienſis*, cuius opera in unum collata uolumen A. CIↃ IↃ. XLIV. Baſileae prodierunt, et multis eruditionis non per uulgatae argumentis commendantur. In iis extat *Apologus*, *Perſonati* titulo inſignitus, ad ALPHONSVM TROTTVM *p. 616.* qui de Volupiae, ut loquitur, feſti in Republica licentia ita diſſerit, ut oratorios floſculos, breuiores tamen, potiſſimum conſectetur. Eodem referremus TERTVLLIANVM *de ſpectaculis*, ISAACVM CASAVBONVM *de Poeſi Satyrica*, ONVPHRIVM PANVINIVM *et* IVLIVM CAESAREM BVLENGERVM *de ludis Circenſibus et theatralibus*, DONATI *animaduerſiones ad* TERENTIVM, IANI LANGLAEI *Armorici Otii Semeſtris Lib. VIII. Cap. IX.* LVCIANVM pariter, et MACROBIVM de *Saturnalibus* ex ueterum memoria, et complures alios, niſi cognitum nobis eſſet, hos tales argumentum, in quo mentem cogitationemque figimus, uel aliud agendo, uel

Phi-

Philologorum more, uel illustrando antiquitatem, attigisse.

§. VI.

Praeferremus his, quantum instituti nostri interest, FRVCTVOSVM BISBAM, de *Mascheris et Comoediis*, DIDACVM PEREZIVM de VALDIVIO aduersus *Mascaras*, utrumque Hispanum, et popularis linguae scriptorem, IOANREM SAVARONEM *Gallum*, de *confraternitatibus et contra laruas*, libro gallice scripto, LVDOVICI ARRIVABENE, *Itali*, *Mascaromastiga*, siue *instructiones laudabilis et Christiani Carnaualis*, Italica lingua exaratas, SALAMONIS GESNERI, *Germani*, *orationem de Personis*, *seu Laruis*, *et nocturna diuagatione*, IACOBVM HERRENSCHMIDIVM, *Oettingensem Ecclesiasten*, ZIMMERMANNVM de *Bacchanaliorum nomine*, *origine*, *progressu*, *placentis*, *Laruis*, et tot alios propositi ratione nobis aliquanto coniunctiores, nisi eos magis uel eloquentiae, uel copiosae lectionis, quam eruditae accurataeque disputationis, laudem quaesiisse, constaret. Magis nobis probatur institutum ALBERICI GENTILIS, cuius est *disputatio de actoribus* et *spectatoribus fabularum* non notandis, pariter cum *alia* de *mendacii abusu*, Hanouiae excusa, A. CIↃ. IↃ.XCIX. itemque IOANNIS NICOLAI, cuius extat sat industria *commentatio historica*, de *ritu antiquo* et *hodierno Bacchanaliorum*, Helmstadii A. CIↃ. IↃC. LXXIX. formis exscripta. Neque eo secius de omnibus, quos quidem ad illustrationem huius argumenti adiumentum attulisse nouimus, generatim ita sentiendum pronunciandumque est, eos plerumque nonnisi criticam suppellectilem

pariter atque iuniores.

lectilem nobis reliquisse. In extremo huius prooemii nominasse suffecerit, RVDOLPHVM HOSPINIANVM de *festis Hebraeorum* et *Ethnicorum*, et P. MENESTRERIVM, cuius extat *opus* de *praesentationibus musicalibus antiquis* et *hodiernis*, quas uulgo *Operen* uocant, et *aliud* eiusdem, *idemque* longe doctissimum *de Torneamentis*, *Quintano*, *aliisque spectaculis publicis*, utrumque gallice scriptum, quod forte eiusmodi erit, ut hodiernae personatorum, quam molimur, historiae aliqua sui parte prodesse queat. Ante uero, quam ad propositum pergamus, praecipiendum putamus Lectori, quem suscipiamus laborem, nolle nos alio, quam inauguralis dissertationis, seu exercitationis Academicae, loco haberi, hoc est, non illius instar operis, quod singulari excultum industria, et summo exquisitoque elaboratum artificio, ad usum profectumque uirorum doctorum comparetur.

CAP. I.

IDQVE CRITICVM.

§. I.

Ετυμολογία τȣ̃ Carnaual, Carnisprivii, et Carneleuaminis

NE uero differendi ordinem turbare uideamur, initium tractationis, quemadmodum nos facturos recepimus, ab ipsa nominis consideratione capiamus. Quo tamen negotio breuiter defungamur, qui satis habeamus, si,

ratione

ratione nominis expoſita, ad ipſius rei, quam quaerimus, intelligentiam, cognitionemque, facilius proue hamur: principio meminiſſe iuuabit, *Carnaualis*, *Carneualis*, et *Carnoualis*, uocabulis cum *Carniſpriuii* et *Carneleuaminis* nominibus, ſi non prorſus atque omnino, certe ita, ut parum inter ea interſit, conuenire. Etenim intelligendum eſt, nomen *Carneualis*, praecipuo Italorum Gallorumque uſu inuentum, et frequentatum, atque omnis prope Europae dicendi conſuetudine comprobatum, receptumque, tanquam per iocum id uelle, quod *Carne*, uel latine, *Caro*, *uale*, hoc eſt: Caro uale, ubi prius aliquot adhuc hebdomadas nos ſatiaueris, adeo, ut nos tui poſtea taedeat fere, et quod imminet, ieiunii quadrageſimalis tempore, piſce, oleo, ouo contenti, tui facilius obliuiſcamur. Quanquam inficias ire nolo, appellatione huius nominis *Carnaual*, quod Domini DV CANGE eſt, *caro*, *ſeu tempus carnes comedendi abſcedit*, illum praecipue Martis diem diſtingui, qui, nullo interiecto, Quadrageſimam anteit, et ſpeciatim Gallorum lingua *Mardy gras* uocatur, de quo inferius, et amplius, dicetur. Iam in medio relinquo, quid, quantumque, retextis tali modo originibus tribuendum, quiſque iis locus in utramque partem relinquendus ſit, qui non ignorem, quae OCTAV. FERRARIVS animaduertat. Nonnihil tamen, quam replicauimus, origini conſuli, nec nullum imponi praeſidium opinamur, ſi contendamus, Carneual a Caro uale, non minori iure, quam Carneleuamen a Carnis leuamine, et Carniſpriuium ab eius priuatione, duci poſſe. Quamuis non deſint,

quibus τὸ *priua* obsoletum et desitum sit uerbum, quod antiquitus idem, quod propria, significauit, adeo, ut ui huius notionis Carnispriuium idem, quod tempus carni proprium, notare uideatur. Atqui haec opinio nec dum ad liquidum satis perducta est, nec fraudi nobis futura, propterea, quod uis significatioque, quam attulimus τȢ Calnaual, uti ostendimus supra, perinde non in eam accipi sententiam debet, quasi, nulla interposita mora, caro ualere et facessere iubeatur, sed tum demum, cum expleta quatuor sexue hebdomadum hilaritate, uerum et proprie dictum ieiunii tempus inchoetur. Qui quidem mos etsi Protestantibus nullam dat legem, neque ullam necessitatem imponit, propterea, quod ieiunii illius Quadragesimalis tempore quotidiano carnis usu non excluduntur, sed ob religionem eius et sanctitatem tantum in uictu et amictu moderatius continentiusque sese gerere iubentur: illorum tamen, qui Pontificis auctoritatem sequuntur, exemplo colitur adhuc, et tam inuiolate conseruatur, ut in eius studio, cultuque, nescio quod religionis momentum situm esse, arbitrentur. Alioqui *Carneleuamen* apud VGHELLVM et ROMVALDVM SALERNITANVM, licet, legamus. Sed *Carnispriuii* uerbum apud NICEPHORVM GREGORAM *in uita Andronici Senioris* occurrit, nec dissimili ratione in *statutis Synodalibus Episcopi Andegauensis*, et *Chronico Montis-Serini*, itemque alibi, inuenitur. Cuius loco WILHELMVS NEVBRIGENSIS *lib. V. c. X.* priuicarnium dixit, et tam hoc, quam illud, atque adeo utrumque GERVASIO TILLEBERIENSI id notat tempus, *quo carnibus priuari, et ab iis abstinere inci-*

incipiunt Catholici, ante ieiunia quadragesimae. Neque uero non constat, et extra dubitationem positum est, in Ecclesia Graeca τὸ ἀποκρεὸν siue carnispriuium illam sigillatim Dominicam, quam Sexagesimam uocant Latini, significare. Quae tamen appellatio ei communis est cum integra, quae anteit, hebdomade, quando Graeci hebdomadas suas, non ut Latini ab antecedente, uerum a consequente Dominica uocare solent, quemadmodum ALLATIVS *de Dominicis et Hebdomadibus Graecorum cap. X.* iam dudum animaduertit. Quamobrem amplius *Missa* Mosarabum Dominicam Septuagesimae, quae Graecis est προσφονήσιμος, Dominicam ante carnes tollendas, nuncupauit. Vna tamen significatio aliam non repudiat, atque excludit, et nihil impedit, quo minus uerbo illo *Carnaual*, quod latinius dixeris *Carnispriuium*, seu *Carneleuamen*, omne omnino temporis spatium, quod a festo Magorum usque ad diem Martis ante Quadragesimam, quem Hispani *Martes de carnes tollendas*, uel *dia de carnes toltes*, Galli uero, sicuti ostendimus, *Mardy gras*, siue *Careme prenant*, Latini diem carniuoram, seu Carnicapium, nominant, et de quo apud MICHAELEM CARNOBELLVM *in Chronico Petri IV. Regis Arragon.* a se edito, pariter atque in *Chronico Rotomagensi*, a Labbeo edito, *Tom. I. Bibl. a. 1249.* uberius differitur, designari putemus. Communis certe et peruulgata consuetudo, et quem dicunt, usus loquendi, appellationis huius uim constituit et firmauit, uti *Academici della Crusca* non temere, nec inique, monent. Atque adeo parum nostra refert, utrum repetita e ueterum Latio *Bacchanalia, Dionysiaca*, item-

que *Hilaria*, *Liberalia*, *Lupercalia*, *Vinalia*, *Quirinalia*, *Orgia Trieterica*, aut ipſum *Volupiae Feſtum*, quomodo CALCAGNINVS in *Apologo*, *Perſonati* inſcripto, minus tamen pro diuerſa temporis ratione recte, an ducta a Graecis ὄργια, et plura eiusdem generis, adhiberi uelis, nec ne. Nobis quidem ſatis eſt ad inſtituti rationem, tempus, quo perſonae ſumi, et perſonati in concionem prodire, quemadmodum paulo ante demonſtrauimus, incipiunt, *Carnaual*, aut mutato interdum nomine, *Carnaſcial* uocari.

§. II.

Synonymia. Atque adeo ut, quod rarior uerbi uſus poſtulare uidetur, principio, idque breuiter, eos, qui in Carniſpriuii ſolemnibus, aut alibi, tecti diſſimulatique incedunt, et *Maſquirre* uulgo dicuntur, uideamus: non alienum eſt, plura uerba, quae cum illo paria faciunt, in medium reuocare, et in tranſcurſu tantum, nec fere, niſi ſola eorum mentione facta, commemorare. Namque uelati huius generis homines, quod

Larua primum in mentem uenit recordari, Laruati dicuntur, a laruis, ſiue commentitiis paganorum diis, quos Lares uocabant, et domibus tectiſque ſuis, qua erant ſuperſtitione, praeficiebantur. Quibus nonnihil re-

μορμολύκειον. γοργεῖα, γοργονεῖα γοργείη κεφαλὴ.

ſpondent Graecorum μορμολύκεια, a uerbo μορμολύσσεσθαι, quod idem eſt, ac perterrefacere, de quo SCHOLIAST. ARISTOPHAN. *p. 205. et 493.* γοργεῖα etiam ſeu γοργονεῖα et γοργείη κεφαλὴ, quod horribilem adſpectum notare ſolebat, quemadmodum PHILOSTRATVS *de uita Apollonii lib. VII. cap. XXI.* obſeruat. compara HESYCHI-

VM, SVIDAM, PHAVORINVM *h. u.* et uetuſtum Enarratorem Homeri, ιλ. *p. 113. Od. p. 139.* Haec enim uerba plerumque laruatis uelatiſque hominibus olim tribuebantur, uti FESTVS *Lib. X. pag. 1228. et* POLLVX *Lib. IV. cap. 18. et lib. X. cap. 39.* teſtantur. Etiam *Monacho Sangallenſi lib. I. de Carolo M. c. 25. et in canone nullus 35. de Conſecr. diſt. 5. larvati* pro aeris Daemonibus, et AVSTIGVNO *de Ciuitate Dei* pro noxiis pravarum animarum umbris, APVLEIO denique *lib. IX. Metamorph. in Apolog.* pro furioſis et mente captis', et aliis alia ratione', dicuntur. quorſum comparetur ADRIANVS TVRNEBVS *Annotat. in C. Plinii Praefat. uerb. laruas luctari. p. m. 395. n. 60.* ALEXANDER etiam ab ALEXANDRO meminit *lib. II. Genial. Dier.* apud Samios et Alexandrinos duo *fora larua* nuncupari. Verum quicquid huius eſt, parum noſtra refert, quando hoc loco laruae uerbo id demum omne intelligendum putamus, quod uel ad diſſimulandum uultus oriſque habitum ſolum, uti RAYNALDVS *Obſeruat. lib. II. cap. XVIII. §. 33. num. 19.* contendit, uel ex ſententia FRANCISCI PETRARCHAE *Ser. 68.* ad totius corporis ueſtitum, eumque ludicrum et ſimulatum et occultationis cauſſa comparatum, infertur. Ex quo conſequitur, Laruatos eos eſſe, qui commentitio et aſcititio, ſibique apte accommodato, minus alioqui conueniente habitu, a calce ad uerticem, nonnunquam uultu tantum, noua aſſumtaque ſpecie diſſimulato, lateant atque occultentur. Neque *Perſona.* uero minus homines, his abditi atque inuoluti integumentis, uerbo cultiſſimae atque emen-

datiſſimae latinitatis, *perſonati* ſeu perſonae, a perſonando, ut lepide compoſuit C. BASSVS, inſigniuntur. Cuius quidem uocis altius petitam, et notiones quaſdam ab huius inſtituto loci remotas, apud A. GELLIVM *lib. V. Cap. VII.* et A. CODRVM VRCEVM ad IO. GARZONEM, *ICtum*, ſingulari quadam *Epiſtola, poſt ſermonum eius collectionem, p. m. 279. ſeq.* uarias huius uocabuli ſignificationes explicante, licet, uideamus. Sumus tamen, cum librum illum euoluеremus, mirati, eas omiſſas eſſe notiones, quibus perſonam adhibuerunt VLPIANVS noſter, *in l. 17. §. 9. π. de act. emt.* POLLVX *lib. II. cap. 4. ſegm. 47.* PLINIVS *XXI. 15.* COLVMELLA *VII. 8.* tum Ius *Canonicum c. 54. de elect. et elect. iuncto cap. 1. de Praebend. et dignit. in 6.* BARONIVS *Ann. 741. num. 35.* Cl. SALMASIVS *Exercit. Plinianis* ad SOLINVM *pag. 461.* et ipſe CICERO *XV.* ad ATTICVM *epiſt. I.* Quas quidem diuerſas, neque inelegantes, ſignificationes idcirco commemoramus, quod Epiſtolae, cuius mentionem fecimus, ſupplementi loco ſeruire queant. Sed illuc reuertamur. Huius igitur generis perſonae, qua diximus, notione acceptae, Graecis πρόσωπα ſiue προσωπεῖα dicuntur, ἀπὸ προσώπȣ, teſte POLLVCE, ſiue, ut mauult VRCEVS, a πρὸς, i. e. ad, et ὤψ, ὠπὸς, facies, uel uiſus, quaſi ad faciem tegendam inſtrumenta, et nobis quidem hoc loco illos ſignificant, quos laruatos modo, nunc qua totum corpus, nunc qua faciem ſolum, uocauimus. Nam de controuerſia, quam diſceptant eruditi: uerbumne perſonae ſoli conueniat faciei? in extrema huius propoſitionis parte uideamus. Curſim

attingo,

attingo, idem uocabulum ad ſolam referre faciem VRCEVM uideri, quemadmodum locus, ex eo prolatus, euincit. Quamuis idem paulo poſt ſibi minus conſtet, et a ſe ipſo diſſideat, quando *perſonam* quidem *oris tegumentum* interpretatur, ſibi tamen fraudi eſt, cum adiungit: *Et quam hiſtriones ſub illis perſonis, quas ſumebant, et uiros, et foeminas, et reges, et ſeruos, et diuites, et pauperes, repraeſentabant, idcirco perſona metaphorice, ſeu per ſimilitudinem pro hominum qualitatibus ponitur, etc.* Quae quidem diſſimulatio, qua uti conſueuerunt uiri, et mulieres, reges, et ſerui, opulenti, et inopes, cauſſa eſt, quamobrem non faciem tantum texiſſe, ſed ipſum etiam corpus omne nouo quodam, mutatoque, habitu occultaſſe, exiſtimemus. Nihilominus adiri poteſt MARISCOTTVS *cap. 1.* qui certaminis huius, fruſtra ſuſcepti, et copioſi, memoriam replicat, iiſque, qui a nobis diſſentiunt, ex aſſe ſatiſfacit, pariter atque icones, quas ex codice quodam Terentiano, manu exarato, expreſſas, propediemque in lucem dandas, habemus, uel nobis tacentibus, idem docebunt, aliaque, ac credunt quidam, omnia perſuadebunt.

§. III.

Doctorum quorundam gentilitium Perſonae nomen.

In praeſens, neque id, quod ſperem, auditu moleſtum, meminiſſe iuuat, complures eſſe doctorum, qui gentilitio et hereditario Perſonae nomine diſtinguantur, ideo memoriae mandandi, ne quando cum perſonatis confundantur, aut pro *commentitiis* forte ipſis reputentur. qualis eſt IOANNES GOBELINVS

PERSONA,

Persona, ſub quo nomine Aeneas Sylvius ſeu Pivs II. Hiſtoriam de rebus, a ſe geſtis, conſcripſit, a Francisco Picolominaeo recognitam, Romae 1584. et 1589. et Francofurti 1614. Inter alios etiam in mentem uenit Gobelini Personae, *Germani*, *Bilfeldenſis* et *Paderbornenſis*, *Decani* qui circa initium ſeculi XV. uixit, et Hiſtoriam, Coſmodromii nomine inſignitam, poſteritati reliquit, quam primus Meibomivs Francofurti A. 1599. poſtea filius huius Henricvs, Helmſtad. A. 1688. de integro curatam, ediderunt. Lvdovicvs Persona fuit Anteceſſor Iuris in Academia Vitemberg. de quo Dn. Parens in Oratione, quae habetur in Actis Iubilaei Academiae Vitemberg. ult. p. 162. Recordor etiam Gillesii Personae, hominis *Galli*, *Geometrae* et *Profeſſoris Regii Mathematici*, qui multis libris, iiſque praeclaris, ſcriptis, A. 1675. e uita exceſſit. Nec uero praeterierim Robertvm Pearson, *Britanum*, eundemque *ſodalem Ignatianum*, de quo Ribadeneyra et Alegambe *in Biblioth. Scriptor. Soc. Ieſ.* copioſius dicunt. Huc reuocari poſſent et Ioannes Pearson, Anglus, Ceſtrienſis Epiſcopus, et Richardvs Pearson, de quibus legatur Antonivs Teisserivs in Catal. Auct. Auctuario, p. 165. et 236. Quibus adiungo Ioan. Baptist. Persone, *Philoſophum et Medicum Italum*, quem Clavdivs Menestrerivs in *Philoſoph. Imag.* idque in *praemiſſa praefatione de Symbol. Auctor. p. m. 23.* commemorauit. Atque hi quidem Perſonae, proprio hereditarioque diſcreti nomine, quos e quatuor clariſſimis gentibus ſelegimus, nobis pro inſtituti ratione ſuffecerint, quibus fraudi futurum non erit, ſiquidem

dem aliorum induſtriae doctrinaeque arbitrium eius rei, tam ex harum, quam multarum nationum aliarum, annalibus memoriaque ſupplendae atque augendae relinquamus.

§. IV.

Sequitur, ut breuiter ſummatimque *Maſcae* et *Maſcaratorum* uerba perſtringamus. Audiamus COELIVM CALCAGNINVM, ea quidem oratione, quam ipſe in Apologo, ſupra commemorato, expromſit. *Myſtae, hanc,* inquit, *quam alii perſonam dixerunt, ipſi aptiore multo uocabulo* μάσχαραν *appellarunt. Eſt enim hoc noſtri ordinis iuſiurandum: ceu ſi tu* μὰ τὴν χαρὰν, *id eſt, per laetitiam dixeris.* Χαρὰν *enim laetitiam Graeci, omnium bonarum artium inuentores uocant. Sic* PYTHAGORICI μὰ τὴν τετρακτὴν *iuſiurandum concipiunt. Neque enim ſatis mihi ſententiam ſuam perſuaſere, qui maſcharam, quaſi* μεγάλην ἐσχάραν, *id eſt, magnam incruſtationem, dictam credunt. Eſt enim hoc tectorium apud idoneos caeratis plerumque linamentis confectum, ac deſuper coloribus belliſſime perlitum: aut certe* ἀπὸ τῶν μασχάλων; *uilloſis enim hoc genus centonibus bona pars ſeſe inuoluit, quum uult deliteſcere. Hactenus* CALCAGNINVS. Aliam quidem eiuſdem uerbi originem *ex Gloſſario Saxonico* COTTONIANO, in medium afferre, atque adeo, ſi P. DOMINICI *Fabricam linguae Arabicae*, et IACOBI GOLII *Lexicon Arabico-Latinum* ſequi uellemus, ex ipſa etiam Arabum lingua arceſſere poſſemus, niſi crederemus, partim ſufficere lectori, id notitiae cauſſa indicaſſe tantum, partim cum PETRO GREGORIO *Maſca, et Maſcarati.*

D THO-

THOLOSANO *Syntagm. Iuris lib. XXXIX. c. 2. n. 5. et 6.* existimaremus, omnia huius generis uerba, quae aliquam sapere Latinitatem uideantur, e corrupta et deprauata Longobardorum lingua extitisse, et operam perditum iri, siquidem cum CALCAGNINO, bono cetera uiro, uerbum tam corruptum e Graecis repetamus fontibus, aut eius euoluendi caussa in aliis linguis desudemus. Praesertim cum in eo, in quo uersamur argumento, sententiae huic nostrae praesidium, quo nihil euidentius dici potest, conceptis uerbis afferat *Legum Longobardicarum illa, siquis mundum de Mudualdo* et *Mundi amiss. lib. I. Tit. XI. num. 9. seqq.* Quo quidem loco Mascae perspicua fit mentio, licet non eadem, qua usi sumus, notione, sed ut sagam, uel spectrum nocturnum designet, pariter ac Larua supra notabat. Quo fieri facilius potuit, ut idem uerbum pro diurnis ueluti spectris, quae interdiu occursarent, et conspicerentur, siue generatim pro hominibus personatis uelatisque, postea, usu sic ferente, sumeretur. Quorsum operae pretium est euoluere *Glossam ad L. 1. Feud. 2.* et CVIACIVM *de masca uenefica ad h. l.* cum iisque comparare *Vgutionem*, quem in *Glossario* meminit CAROLVS du FRESNE, h. u. quo exinde intelligatur, ipsas etiam uulgati corporis feminas et scorta Auernorum consuetudine loquendi Mascas dici. Nisi uerendum esset, ne longius a proposito abiremus, haberemus quaedam, quae de uerbis Talamasca et Talmaschen, fortasse a Tala, seu Cala, quae maleficium Petro, Regi Aragonum in constitutionibus MS. a. 1200. commemoratis

ita a du FRESNE, in u. Maleficium, ſignificant, et a Maſca deſcendentibus, de quibus uideatur BVRCHARDVS *L. II. cap. 161.* Sed quo in re non admodum neceſſaria modum adhibeamus, et breuitati ſtudeamus, ſuffecerit in praeſens, eam in rem commemoraſſe THEODVLPHVM AVRELIANENSEM, qui idem argumentum ſingulari quodam epigrammate complexus eſt, in cuius expoſitione MABILLONIVM non nihil digreſſum eſſe, recordamur.

§. V.

Inſtituti pluris intereſt, redire, unde exceſſimus, ſatiuſque ducimus ſubmonere, ψευδομόρφην Graecis idem plerumque, quod Maſcam, uelle, quae ad faciem ſigillatim refertur, potiſſimum e mappa ſeu charta terſa confecta, cruſtis et coloribus illini pingique ſolita, quo faciei impoſita, quam uolumus ſpeciem praeferat ac repraeſentet, uti fere *Academici della Cruſca* deſcribunt. Neque uero ſic menſura rei, in qua cogitationes defigimus, impletur, propterea, quod non os tantum et faciem, ſed omne omnino corpus, uelatum uolumus, id quod Maſcarae uerbum non inepte declarat. A quo dubitari non poteſt, quin illud, quod uulgo Maſcaraden ſiue Maſqueraden uocatur, ducatur, quo quidem uerbo conſociatio quaedam perſonatorum, et aſcititio latitantium habitu, hominum, aliarumque rerum, quae diſſimulationis cauſſa adhibentur, ſpectaculum notatur, adeo, ut omnes etiam illas metamorphoſes complectatur, quae animi cauſſa, interdum etiam per ludum iocumque, Carniſpriuii tempore, et alias quo-

ψευδομόρφη, προσωπεῖον, Vultus, Adſpectus.

que per annum, publica festaque celebritate instituuntur. Inficiari tamen nolumus, quod Masque dicimus, praecipue de larua, qua facies reconditur, ualere. Rem ante oculos ponat larua illa muliebris, e nigro uel alius coloris corio confecta et composita, qua hodieque sexus elegantior faciem occulere ac tueri solet. Cuius inuentionem non Gallis acceptam esse referendam, sed ultimis, quae ne cogitando quidem assequi liceat, temporibus deberi, e *Polluce* de *mulierum Personulis* MARISCOTTVS *Syntagm. de personis et laruis*, *cap. VI. p. m. 145. seq.* egregie demonstrat. His, quae praeclare sunt animaduersa a MARISCOTTO, adiungimus, quae omisit idem APVLEII uerba, cum *lib. VII. Metamorph. p. m. 112.* ait, *mulieres caput obtexisse*, et *uirgines mitella textili faciem operuisse.* Neque ab re fuerit, quod est apud HESYCHIVM: Προσωπεῖον, ἡ νῦν καλεμένη τῶν γυναικῶν προσωπίς. In quam sententiam uultum dixit PVBLIVS SYRVS: Libido cunctos etiam sub *uultu* domat. Neque alia ratione adspectum: Graue est malum omne, quod sub *aspectu* latet.

§. VI.

Oscilla et στόματια

Comprobat etiam, id quod largiti sumus, illud laruarum genus, quod Oscilla uocabant ueteres, rusticis et agrestibus hominibus in usu positum, quod ἐν ταῖς αἰώραις siue in iactationibus ludicris ori accommodabant, atque apponebant, ut magis ridiculi forent. Cuius uocabuli notionem et significationem uariam MACROBIVS *lib. I. cap. VII. et XI.* FESTVS *lib. 13. p. 1248.* FR. IVNIVS *ad Tertullianum lib. de Sallio*, *et* IVL.

CAES.

Caes. Bvlengervs *lib. I. cap. XXXIII. de Theatro*, perſecuti ſunt, ob eamque rem non inutili ratione adeundi. Nec uero minus indicio ſunt, quae appellant Graeci στομάτια, h. e. parua ora, de quibus Avsonivs *Praefat. Eidyll. XIII.* ad eumque Scaliger *lib. II. cap. XXVI.* legi poſſunt. Rei denique, de qua agimus, fidem faciunt omnes omnino laruae illae, quae, uultus habitum gerunt, et uariis diſtinctae figuris, in tabernis ueneunt ſuſpenſae. Vtcunque eſt, negari certe non poteſt huius generis πρόσχημα ἄμορφον καὶ πολύμορφον, quod ab imo ad ſummum integrum omnino corpus diſſimulat, atque abſcondit, Maſcaram etiam dici poſſe. Hodiernus ſaltem uſus loquendi fert, ut ita ſentiamus. Ne plura dicamus, de miniatis tandem et fucatis, qua hi quoque cum Maſcaratis, ſuo tamen modo paria facere uideantur, conferenda erunt, quae infra hac de re *ad Can. 38. de Conſecrat. Diſtinct. 5.* dicentur. Addimus tantum, σχηματισμὸν conuenienter pro eo, quod notat πλάσμα, hoc eſt, commentum et ſimulationem, a Graecis non raro adhiberi, idque ab Hesychio animaduerti. Quo reſpicit *N. 124. c. 44.* in qua Imp. Iuſtinianus uerbis Arcadii et Honorii ex C. Theodosiano, uti ſchemate monachi, aut monaſtriae, aut aſcetriae, expreſſe prohibet, ſub ſchemate iſto inibi nominatim dicto omne id complexus, quod nos paulo ante de generali laruarum et Maſcararum acceptione pronunciauimus, eadem fere ſententia, qua σχῆμα μεταβάλλειν inuidus quidam apud Libanivm *Declam. VII.* uicino repente locupletato. Ante uero, quam Synonymo-

nymorum cogitationes abiiciamus, in extremo commemoramus urbem Celtiberorum et fluuium Arabiae desertae, quibus Mascae nomen fuisse, STRABO et XENOPHON *Expedit.* CYRI *lib. I.* testantur, id quod elegantiae, non necessitatis, caussa per occasionem notamus, perinde ut supra illorum, qui Personae audiebant, nomina propria referebamus.

CAP. II.
IDQVE
HISTORICVM.

§. I.

Ortus personarum, a primis hominum parentibus,

PRius uero, quam ulterius prouehamur, quaedam de origine, progressione, et usu Mascarae capitulatim dicenda sunt. Nec uero iam ad Samoietes confugimus, qui se totos pellibus induunt, assutis simul mitris unius ferme ulnae longitudine, unde occasionem fingendi homines, oculos in pectore positos habentes, dedere, ut quidam ad TACITVM *de Popul. Germ.* animaduertunt. Res altius petenda est. Etenim hoc argumentum, obscuritate indutum, et difficultate impeditum, cum minus diligenter memoriae literisque tradiderint ueteres historici, ut quid de ortu huius rei existimemus, expedire uix queamus: unus superandae eius difficultatis locus, isque minus lubricus, nobis relictus uidetur, ut eius inuenti culpam, siqua est, in ipsos primos humani generis parentes, ADAMVM et EVAM conferamus, eorumque exem-

exemplo hanc uelandi consuetudinem postea obtinuisse, contendamus. Hos enim, uiolata Dei lege, agnitaque corporum nuditate, in pudorem coniectos, nuda corpora, qua pudorem prodere uidebantur, subligaculis, quae e foliis ficulneis texebantur, texisse, e *Genes. III. 7.* scimus. Quo factum est: ut omnem uestiendi occultandique consuetudinem, immo necessitatem, nobis imposuerint, ex quo pudor uetuit, quo minus nuda corpora patefaceremus oculis, et conspicienda praeberemus. Equidem ut uerum fatear, id mihi negotii datum hoc loco non puto, ut diuersa uestimentorum genera, quae a prolapsione primorum parentum, quotidiano et necessario gentium nationumque usu recipi consueuerunt, sigillatim exponam. Quae si persequi instituam, nemo non cogitatione perceperit, multa eorum tam ridicula et absurda futura, ut stultitia et ineptiis cum habitu Mascarae studio consultoque quaesito, certare uideantur. Sed silentes et prudentes illo supersedemus labore, quo, non nescimus, alios iamdudum perfunctos esse, in iisque rei uestiariae scriptores, OCTAVIVM FERRARIVM, LAZARVM BAYFIVM, ALBERTVM RVBENIVM, et alios. Quorsum in primis referas Icones, quibus habitus omnium fere mundi gentium, tum uirili, tum muliebri, sexui cuiusuis conditionis, pro more conuenientes, et hactenus usitati suis imaginibus ad uiuum exprimuntur, editus M. DC. per GEORGIVM STRAVBIVM, typographum Sangullensem. Eodem attinet P. C. DV MOVLINET, qui uarios Virginum Vestalium habitus, aere excusos, dedit, ut meminimus ex *Iournals*

des

des Scauans Tom. I. p. 453. et MISSONS, in cuius itinerario Italico diuerſa habitus Auguſtini genera exprimuntur. Neque eo ſecius, ut primam corpus ueſtitu occultandi et diſſimulandi inuentionem Euae in primis tribuendam ducamus, non nihil, neque id inficior, mouet nos atque adducit HERVETI obſeruatio, *Comment. in* Cl. ALEXANDRINVM *fol. 23.* qua in memoriam nobis reuocat, Bacchicas olim mulieres, quae in Bacchanalium Solemnibus, tyrſo ſumto, et cum cymbalis diſcurrere et bacchari ſolebant, EVAM, *per quam error conſecutus, exululaſſe.* Id quod non fugit HERENSCHMIDIVM *p. 14. ſeq.* Quae quidem opinio ſacrarum auctoritati literarum conciliari poſſe uidetur. Gentes enim, ueri cultus expertes, conſtat, feſtorum dierum, quas inſtituerant, ſacrorumque ſuorum ſuperſtitionem, cum piis et ſinceris, quos habebant Iudaei, ritibus, miſcuiſſe ac confudiſſe, quemadmodum inferiori loco, cum de Bacchanalibus tractabimus, in tranſcurſu tamen, exponemus. Putemus igitur, populos hos profanos, ut alia multa, ſic Ebraeos etiam, de Euae incommodis maliſque, quibus genus hominum affecerit, et prima eiuſdem uelatione, interdum conquerentes audiuiſſe. Quo fieri potuit, ut in Bacchanalibus, illudendi uel temporis fallendi cauſſa, EVA *ululandi*, uelati exclamarint, et quod coniicere queamus, conſueuerint oblectari.

ab aliis Sacri codicis exemplis deſumtus.

§. II.

Etſi uero id, quod adduximus, extra omnem dubi-

dubitationis aleam non ponimus, neque ei auctoritatem quandam non fallentem, arrogare audemus: eam tamen coniecturam facilius defendi poſſe arbitramur, quam illorum opinionem, qui aliis, quae e ſacro codice in medium afferunt, exemplis, Maſcararum originem docere et ſtabilire conantur. Sunt enim, qui huc reuocant exemplum IACOBI, qui pellibus hircinis manus amiciebat, *Geneſ. XXVII. 15.* GABEONITARVM, pannis laceris et detritis obſitorum et ueſtitorum, *Ioſuae* IX. 5. Simulacrum lecto et pelles caprarum ad caput eius imponentis MICHOL, *1. Sam. XIX. 13.* DAVIDIS maniam ſimulantis, *1. Sam. XXI. 13.* NEBVCADNEZARIS in beſtiae morem conuerſi, *Daniel. IV. 29.* PROPHETAE, os et oculos coram Achabo, Rege, puluere adſpergentis, *1. Reg. XX. 38.* SERPENTIS paradiſiaci, *Geneſ. III. 1.* SAMVELIS, ex ſepulcro excitati, et prodeuntis, *1. Sam. XXIIX. 14.* DIABOLI, ſe in Angelum lucis conuertentis, *2. Corinth. X 14.* IESABELIS, fuco ſeſe oblinentis, *2. Reg. IX. 30.* ACHABI IONATHANISQVE conuerſi formas, *1. Reg. XXII. 30.* Atque haec quidem exempla, quem memorauimus, HERENSCHMIDIVS, ſubiuncta eorum expoſitione, *a fol. 31. ad fol. 68.* expromit, et ineptius perſequitur, ſic, ut eorum pleraque, aut, tanquam Maſcaras ſtudio quaeſitas, et data opera excogitatas, confinxiſſe, aut a lepidis certe ac miri hominibus ingenii, qui iis rei huius morem uel tuebantur, uel refellebant, prorſuſque damnabant, accepiſſe uideatur. Sed quoquo modo ſeſe illa habeant, minus certe ineptiarum habent, quam inſulſum PACICHELLII inſtitutum, qui e Pentateucho, *p. 19.* hunc uelandi

ritum elicere, et comprobare audet, ob eamque caussam uocem, cuius nos miseret, mittit: *Docent id exempla potissimum Tamar, uelato uultu ac mutata ueste socerum decipientis: Iacobi, seruili forma Labano ultra septennium famulatum praestantis.* Transeat hoc: ueniam damus. Nunc arrige aures, qui uerum amas: *Faciei Mosaicae praelucentis, quemadmodum diui Stephani Angelum repraesentantis. Nec deerunt in coelesti patria huiusmodi metamorphoses, ad intensius, uel remissius gaudium iuxta merita uiatorum; tum proderit hic lusisse, ueluti Caius Caligula, qui uestes assumebat Ioui, Iunoni, Veneri ac Dianae accommodatas, e* XIPHILINO. Quo nihil absurdius uel dici, uel cogitari potest. Sed ne longius excedamus, e diuerticulo in uiam redimus. Nimirum, cum rem recta reputamus uia, uix dubium uidetur, quin Mascarae culpa in primores humani generis parentes reiicienda uideatur, quam tamen in eos omnium omnino, qui in hoc argumento sunt uersati, nemo, quem sciam, re fortasse non satis diligenter expensa, sigillatim conferendam, duxit.

§. III.

Primos parentes secuti Chaldaei,

Quod si requiramus, quis tamen populorum, qui his orti sunt parentibus, primus, ex quo noxa illorum occasionem, ut uocant, sine qua non, dedit, memoratum uelandi ritum adhibuerit eundemque ad alias deinde nationes propagarit: illarum, nisi nos fallit animus, nationum trium, quas uulgo Praeadamitarum fautores ac propugnatores terrarum orbis antiquissimos ferunt, una nominandae

ac

ac uel Chaldaeorum, uel Ægyptiorum, uel Sinensium, uel tres simul omnes, commemorandae uidentur. Hos enim populos meminimus, rei Hieroglyphicae et Astronomicae, e qua multas Deorum hominumque metamorphoses, iuxta cum aliis ingenii commentis duxerunt et effinxerunt, unos omnium maxime studuisse, ob eamque rem, sicuti supra e SALMASIO *ad* SOLINVM *p. 461.* animaduertimus, ipsa etiam sidera uariis simulacris atque imaginibus induisse ueluti, atque conuestiisse, et singulares certosque Decanos et praesides astrorum, siue Deos Horoscopos esse, commentos, quos ultimi Graecorum πρόσωπα dixerunt, atque adeo astris, Aegyptiorum Chaldaeorumque more, proprios quosdam Decanos attribuisse, sicut primus Arietis Decanus Marti deputaretur, secundus Soli, tertius Veneri: Hinc iste πρόσωπον Ἄρεως, ille πρόσωπον Ἡλίου, hic πρόσωπον Ἀφροδίτης etc. uocabantur. Ratio nominis haec erat, quod stellae, cui assignati erant, personam quisque sustinere, illamque repraesentare crederetur. Nisi potius dicas, sic appellatos a uariis uultuum et imaginum figuris, quibus pingebantur. Nam aut homo erat, securim tenens, aut ensem, et alia eiusmodi εἰκάσματα. PSELLVS *e Teuero Babylonio*, ad *Oracula Zoroastr. p. 94. 98.* et in *Exposit. Dogmat. Chaldaic. p. 120. Firmicus* de *errore profan. Relig. p. 411.* Immo figuras eorum, in annulorum sculpturis uulgo imprimendas, curabant, ut amuleta essent, quas figuras ex Indorum, Persarum, Chaldaeorum, Aegyptiorumque sententiis receptis plurimi tradiderunt. Veruntamen, ut pro-

pius ad caput rei accedamus, conuenit inter eruditos, a priſcis Aegyptiis et Chaldaeis ſiue Aſſyriis potiſſimum extitiſſe ac profluxiſſe, id quod IVLIVS FIRMICVS de *error. profan. relig. p. 412.* ſpeciatim de Aſſyriis, quos diximus, memoriae proditum reliquit. *Sacerdotum eorum*, inquit, *chorus Veneri aliter ſeruire non poteſt, niſi effeminent uultum, cutimque poliant, ut uirilem ſexum ornatu muliebri dedecorent.* Ab iisdem mutuati ſunt Phoenices in Cypro, ut teſtatur SERVIVS *ad Aeneid.* lib. II. *Veneris in Cypro ſimulacrum eſt, corpore et ueſte muliebri cum ſceptro et natura uirili, quod* ἀφρόδιτον *uocant.* Initiati ſunt ſecundum *Philochorum* Aſiani, ut conſtat e MACROBIO *Saturn. lib. III. cap. 8. p. 402. Ille enim in Attide, Venerem affirmat, eſſe Lunam*, et *ei ſacrificium facere uiros cum muliebri*, et *mulieres cum uirili ueſte.* Vt rem in paucis contraham, ab iisdem Graeci, Latini, et Germani idem poſtea, per manus traditum acceperunt, quemadmodum infra, ubi moralem laruarum rationem inibimus, ad *Deuter. XXII. 5.* e IOANNE SPENCERO *de LL. Ebraeorum ritualibus.* SELDENO *de Diis Syris*, aliiſque Scriptoribus fide dignis, uberius exponemus. Qui quidem cultus, utrum aliis, quibus remiſſio delectatioque animi quaerebatur, temporibus occaſionem cauſſamque corporis et uultus nouis uariiſque modis conueſtiendi, dare potuerit, aliorum eſto iudicium. Nobis quidem id et perſuaſum prorſus eſt, et paulo poſt amplius ediſſeretur, cum originem Bacchanaliorum, et quae iis adhiberi ſolitae ſunt laruarum, ſtudebimus inueſtigare.

§. IV.

§. IV.

Ne uero nos, qui de Aegyptiorum Chaldaeorumque prodito, eoque nouo et ſingulari uelandi ritu diximus, Sinenſium capiat obliuio, hos quidem relatum legimus a PLINIO *lib. I. Epiſt. XV. et Lib. IX. Ep. XXXVI.* nullum unquam conuiuium apparaſſe ac celebraſſe, niſi adhibitis productiſque in medium hominibus perſonatis, et inſolenti habitu tectis, quorum geſtibus ridiculis ac ludicris conuiuae delectarentur. Etſi uero his populis ab omnibus fere, qui res Indicas perſcripſerunt, plerarumque inuentio rerum praeter ceteros tribui uindicarique ſolet, nec diffiteri uolumus, quae noſtra quoque aetate ad nos exportantur, elegantiſſima peripetaſmata, in quibus tum uariae nitent animalium picturae, tum praecipue mulierum imagines, adducere nos poſſe, ut credamus, quicquid harum eſt rerum, nudius tertius repertum excogitatumque ab iis non eſſe, amoremque et ſtudium occultandi uarie ac diſſimulandi figuras, quod ipſam hominum memoriam excedat, abunde teſtari: Tamen non dubitamus, quin Aegyptiis potius, quam uel his, uel ipſis etiam Chaldaeis, primum ultimumque perſonis utendi exemplum aſſerendum uideatur. Quod quidem dum exiſtimamus, pariter ac pronunciamus, non ſolum antiquitatis rationem, qua praecipuae fidei Hiſtorici Sinenſibus, pariter ac Chaldaeis non parum eos praeferunt, habemus, ſed ipſa etiam hiſtoricorum documenta iudiciaque ſequimur, quorum plura de his, quam de illis, literis tradita, ad nos peruenerunt. In praecipuis, quae eam nobis opinio-

Sinenſes pariter atque in primis Aegyptii.

opinionem ſententiamque attulerunt, commemoramus: Orpheum, ſi qua fides ueri ſubeſt, nec potius commenti loco res habenda, Magum Aegyptium, teſte PAVSANIA *lib. VI. in poſt. Eliacis p. 505.* quem CASPAR BARTHIVS *Animaduerſ.* ad PAPINIVM STATIVM *Thebaid.. lib. II. u. 455.* laudat, eundemque clariſſimi nominis Aſtronomum, Lunam primum γοργόνειαν dixiſſe. Quod quidem Epitheton quanquam inde ductum uideatur, quod uiſum illud, in luna conſpici ſolitum, aſpectum Gorgonis, cuius fabuloſam deſcriptionem ex HESYCHIO idem STATII *enarrator*, ad *Thebaid. lib. IX. u. 741.* repetit ac recenſet, referre ac reddere uideatur: non inſcite tamen in eam exprimi accipique ſententiam poteſt, ut lunam ipſam quaſi perſonatam diceremus, cum γόργεια idem eſſe, quod γοργόνεια, ut habet POLLVX, ac de re quapiam horribili ac terrifica γοργείη κεφαλὴ dici ſolere, ut eſt apud PHILOSTRATVM de *uita Apollonii lib. VII. cap. XXI.* pro iiſdemque προσωπεῖα uſurpari, eoque magis, quod HESYCHIO γοργεῖα dicantur προσωπεῖα, id eſt, laruae, in quibus effictum eſt Gorgonis caput, in propatulo ſit. Obſeruat et notat, id quod diximus, MARISCOTTVS *cap. I. et VII. p. m. 110. et 151.* ex alia tamen occaſione, e CLEMENTIS ALEXANDRINI, eruditiſſimi doctoris, locupletiſſima et inſtructiſſima doctrina, quae extat *lib. V. p. 571.* At enim, quando, quae de Orpheo ultro citroque iactantur, minus ueriſimilia uideri poſſunt, necdum ab eruditis diſceptatum ſatis confectumque eſt, cuias fuerit hic Orpheus, et fueritne omnino unquam hic talis: ne iudicii huius noſtri fundamentum

tum

tum in lubrico lunae fabulaeque monumento posuisse ac collocasse uideamur, firmiora, et quae plus roboris fideique afferant, argumenta circumspiciamus. Huc igitur reuocamus in medium id, quod CAELIVS CALCAGNINVS tradit: *Quod Aegyptus* (eius uerba recitamus ex Apologo) in *supplicationibus Deorum, ut Milesia fabula testatur, uarios habitus induerit. Hic canicipiti tegumento, ille feliformi, bic mysticam uannum aut palmam, alius amphoram gestaret. Quidam cista, quidam aspide, insignes etc.* Equidem non sum nescius, CALCAGNINO uitio dedisse MARISCOTTVM, qui uerba illa, tanquam ab APVLEIO *libr. Metam. lib. XI.* de Aegyptiis prolata, adducat, cum idem APVLEIVS, id quod diximus, apud *Cenchreas*, Corinthiorum nauale, se uidisse, potius testetur. Nihilominus idem MARISCOTTVS inficias ire non potest, horum, quae commemorauimus, rationem ita comparatam esse, ut, si originem respicias, ex Aegyptiorum originibus haec talia emanasse uideantur. Ac quo inductio animi ac propensio, qua Aegyptios in studium res uariis figuris formisque dissimulandi ferri diximus, maioribus et magis perspicuis indiciis illustretur, non alienum certe est, expromere, id quod ex HERODOTI *Euterpe* didicit, retulitque, MARISCOTTVS. Id uero notum est, ab Aegyptiis profectum, apud quos solemne erat, ut unus aliquis ligneum cadauer inter epulas circumferret, conuiuas hoc pacto ad bibendum et oblectationem inuitans, *cap. IV. p. m. 133.* Nec uero adeo nobis fraudi esse possumus, ut praetereamus taciti, quod de iisdem Aegyptiis PLINIVS, Polyhistor insignis, scri-

ptum

ptum reliquit, *lib. XII. cap. XIV. Quando*, ALEXANDRIAE, inquit, *ubi thura interpolantur, nulla satis custodit diligentia officinas, subligaria signantur opifici, persona adiicitur Capiti, densusue reticulus, nudi emittuntur.* Ex quibus uerbis, cum alia eruditius acutiusque colligi atque obseruari queant, quae ad personulas mulierum, superiori §. 5. *cap. I.* commemoratas, aliasque argumenti huius animaduersiones attinere uideantur: iis tamen omissis, hoc quidem in praesens intelligi potest, uelandi ritum, personarumque usum tanti olim fecisse Aegyptios, ut ipsius etiam uitae ciuilis communisque publica ac familiari consuetudine atque usu eius utilitatem commoditatemque comprobarint atque aestimarint, ob eamque caussam rei, qua communem uitam carere noluerint, inueniendae primi studuisse, uideantur. Longum foret omnia referre atque exponere argumenta, quae ex aliis rerum Aegyptiacarum scriptoribus suppetunt, et quandam sententiae nostrae lucem afferre possunt. Satis habemus, nonnullos saltim, eosdemque antiquissimos, uelandi ritus, quibus usa sit haec natio, nominasse, quibus rei, cuius exquirendae studio trahimur, fundamentum, quantum sat est, constitui queat. Quo si illud tandem accesserit adiumentum, Aegyptios inter antiquissimos, quos nouimus, populos esse referendos, ipsam etiam legem diuinam, *Deuter. XXII. u. 5.* praecipue, ut praecepimus nonnihil, et amplioribus uerbis infra declarabimus, ob Aegyptium aliarumque profanarum gentium morem dissimulandi ac deformandi uestitus, qui Deo displicuit, latam Iudaeis promulga-

mulgatamque esse: nihil dubitationis superesse sperare ausim, quin Aegyptii, omnium, quos quidem recogitare queamus, primi fuisse uideantur, qui, hominum genere Adami labe infecto, commemoratum uelandi morem inuenerint, ac frequentarint. Ita uero cum, quoad meliora edoceamur, sentiamus, id profecto nobis sumere non audemus, ut aliorum opinioni, quae firmiori et stabili magis praesidio fulciatur, quicquam detractum uelimus. Vtrum uero hic ritus omnis omnino ab his gentibus ad Chaldaeos, Sinenses, Aethiopas, Graecos, Romanos, Germanos, aliosque populos, integre traductus sit, an potius pro se sua quisque parte atque accessione eum auxerit, nec huius est loci definire, nec temere in medio relinquendum uidetur.

§. V.

Magis attinet Graecorum Romanorumque, quos tribus illis superioribus ac peruetustis populis sapientia proximos ponimus, ritus, eodem in argumento adhibitos, et, repetita ab Aegyptiis origine, deriuatos, interdum tamen emendatos, ac corruptos potius, strictim summatimque referre, prolatis ex historicorum monumentis in medium argumentis, quibus proposita materia copiosius luculentiusque illustretur. Id quod uel idcirco faciendum putamus, quod multi, ac potius plerique fere, qui eiusdem argumenti quaedam interponunt, Graecos Romanosque primos inuentores auctoresque cum omnium omnino, tum singularium praecipue personarum fer- *a quibus acceperunt Graeci.*

ri uolunt. Pro parte huc ualet, quod inter alios VRCEVS *in Epistola* hac de re scribit: *personarum inuentores existimant aliqui fuisse Athenienses, qui ut placarent manes Icari et Erigones eius filiae, quae se propter patrem ab Atheniensibus interfectum, suspenderat, ora ex corticibus cauatis facta sumebant, et oscilla ex alta suspendebant mollia pinu, ut Virgilianum uersum aliqua ex parte longiorem faciam.* Hactenus VRCEVS. Quanquam animaduertendum fatendumque est, ad huius rei cognitionem uiam nobis muniisse MARISCOTTVM, ob eamque caussam pauca tantum, quae huc spectant, ex eo notabimus, et quae supplementi usum praestare queant, adiiciemus. Atque ut a Graecis exordiamur, suspicari possumus, eis, nondum celebrato personarum, quibus in primis facies occulebatur, usu, in more positum fuisse, uultum minio cuiuscunque coloris, fuligine, gypso, fecibus, atque adeo coeno lutoque oblinere, uel foliis grandiusculis, certi cuiusdam generis, et corticibus arborum caesis ac dolatis, contegere, quo liberius et iucundius genio obsequerentur, ac uoluptati seruirent. Exemplum faciei, coeno conspersae praebet PAVSANIAS *in poster. Eliac.* de Diana, fecibus illitae ARISTOPHANIS ad *νεφέλας u. 295. Scholiastes* de poetis illorum temporum, corticibus arborum uestitae DIOSCORIDES, COLVMELLA, ZONARAS in DIOCLETIANO, et qua rustici atque agricolae illius tempestatis Bacchici, iidemque propria distincti notione, utebantur, minio denique, foliis maioribus, fuligine, aliisque rebus uel obtectae, uel pictae, exempla apud alios occurrunt. Paucis, quod dixi-

diximus, uerbis complectitur COELIVS CALCAGNINVS, laudato ſaepius Apologo, qui inſcribitur Perſonatus. *Aut fecibus*, inquit, *ora illinebant, aut Pſimmithio, aut certe proſopite herba, qua nulla folia habet ampliora, quam et hodie inuerſis aliquot literis perſonatiam uocat ruſticana ſimplicitas, faciem inducebant, ut commodius et licentius ſua munia obire poſſent.* Rem magis illuſtrabunt, quae diſſerit IVL. CAESAR SCALIGER, *Poet. lib. 1. c. 13. 14. et 16.* Hanc autem primam uultus tingendi rationem, Dianam docuiſſe, PAVSANIAS *in Eliacis* teſtatur, cum TIBVLLVS *Eleg. I. lib. II. n. 55.* ad Agricolas referri uelit. At hoc tingendi genus, quo Diana eſt uſa, lutulentum et coenoſum fuit, quando Alpheum, amore ſui incenſum, fefellit, ore una cum ceteris comitibus ſordibus oblito, ne dignoſci poſſet. Alterum uero tincturae genus, quod fecibus utebatur, Tzetzes, a Bulengero laudatus, a Bacchi ſacris repetit, quae dum inter uina fierent defecunda, nonnullis libuit prae laetitia fecibus horum ora inungere, idemque reliquorum forte aſſenſu exceptum, occaſionem alia inueniendi addendique, ut fit, commenta dedit. Atque hos quidem oris diſſimulandi modos, ſi ab agricolis diſceſſeris, in Graecia inueniſſe Theſpis uulgo, ut conſtat e DIOMEDE, et colligitur ex HORATIO, fertur. Niſi Orphea, quem paulo ante memorauimus, Graecum fuiſſe putemus, atque adeo eum uultus uelandi ratione exemploque, Theſpidi haud dubie apud Graecos anteponendum ducamus, propterea quod, uti in Theſi, proxime ſubiicienda, e LACTANTIO mentionem faciemus, longe ante illum Bacchanalio-

rum ritum celebritatemque in Graeciam inuexiſſe perhibetur. Cum uero haec talia formae diſſimulandae et occultandae genera, partim moleſta et ſordida, partim ſimplicia nimis, et decoris artiſque expertia, eleganti et cordatae Graecorum nationi uideri poſſent: mirandum non erat, ſi quidem, ut in rebus recens inuentis fieri ſolet, eiuſdem gentis alii atque alii, eius rei ſtudio delectati, meliores aptioreſque uultus pariter ac corporis diſſimulandi modos comminiſci atque maiore expolire artificio eniterentur. Parum enim temporis interceſſit, cum perſonae ex ligno, argento, lino, fictiles, uitreae, cereae, e foeno denique et ſtramine confectae oculis omnium ſubiicerentur. Illarum, quae e ligno concinnabantur, exemplum ſupra cortices arborum ſuggeſſerunt, et mentionem facit HESYCHIVS, quas προσωπεῖα ξύλινα dixit. PRVDENTIVS *2. in* SYMMACHVM lignum cauatum dicit. Memorat etiam SERVIVS *in II. Georg.* Laruam argenteam promit PETRONIVS *in Satyr.* ut dicemus. De linteis adeundus eſt POLLVX, qui eas ὀθόνια πρόσωπα perſonas, uel laruas ex linteis dixit. Teſtaceas et fictiles ex ARRIANO in *Epict. Lib. III. cap. 22. p. 167.* docet I. C. BVLENGERVS, et ſignificare uidetur MARTIALIS, cum Bataui perſonam figuli luſum uocat. Perſonas e foeno ad Tauros et Panderas Hieronicas irritandas dabunt SENECA *de ira 3. ult.* LIVIVS *initio lib. 39. et* ASCON. *in* CORNEL. Alias alii paſſim commemorarunt. Quarum aliae ſolam faciem, aliae uero integrum caput et corpus conueſtiebant. Quae ſolam tegebant faciem, peruulgata loquendi conſuetudine, et generatim

σομάτια,

στομάτια, latinis oſcilla, nominabantur, de quibus ſuperiori *theſi 6. Cap. I.* ſcriptores in teſtimonium citauimus, commodo uſuique illis futuros, qui maius argumenti huius lumen deſiderare uideantur. Alio uerbo huius generis perſonae dicuntur Faciales. Teſtantur *Gloſſae ueteres*, quas ad ONOSANDRI *Strageticon cap. I.* laudauit NIC. RIGALTIVS, δὸς προσωπίδιον, *da facialem*. Eas tamen purpureas fuiſſe quondam, idem auctor notauit. At quae totum incingebant caput et circumdabant, πιλίδια nuncupabantur, uti eſt apud *Demoſthenem*, eiuſdemque enarratorem VLPIANVM, *et* DIONYSIVM HALICARNASSEVM *lib. VII.* Quorum demum integumenta totum inuoluebant corpus, generali nomine πρόσωπα ſeu προσωπεῖα dicebantur, de quibus ſupra expoſitum eſt.

§. VI.

Harum autem inuentores uulgo feruntur *Choerilus Athenienſis*, *Aeſchylus*, *Sannyrio*, *Cratinus*, *Ariſtophanes*, *Maeſo Megarenſis*, *Crates*, *Hercules Graecus*, *Phrynichus*, *Neophron Sicyonius*, *Epicharmes*, *Menander*, *Alcaeus*, *Chriſognus Magus*, et alii, quorum numerum inire non uacat. Atque *Hercules* quidem rationes diſſimulandi habitus ac ueſtitus inueniſſe dicitur, quemadmodum e PLVTARCHO *Qu. Gr. LVIII.* et ex ſcitis OVIDII uerſibus *Faſtor. II.* et aliis docetur. Ac cum ceteri ſuae quiſque inuentionis laude, celebrentur: CHOERILVS tamen praecipue ſecundum SVIDAM, et AESCHYLVS apud HORATIVM a commodiori laruarum inuento laudantur. *Choerilum* autem circa Olymp. LXV.

ex quibus quidam totum corpus tegumento ſimulare aliter docuerunt.

LXV. uel calculo noſtro, ante C. N. DXX. perſonatum certamen iniiſſe, SVIDAS docet. *Aeſchylum* plerique Graecorum inuentorem honeſtarum, ad differentiam aliarum minus conuenientium, ab antiquis ante illum, uel etiam a ſe ipſo primis temporibus introductarum, earundem et terribilium, perſonarum commemorant, uti SVIDAS uoce AESCHYLVS, ARISTOPHANES et HORATIVS *in Poetica*, teſtantur. Hae uero terribiles laruae ab iis ſumebantur populis, qui locorum interuallis diſiuncti, more habituque peregrino minus uulgo cogniti erant, eoque magis mouebant. Quorſum ex uſu eſt, adire IVVENALEM *Satyr. III.* et MARTIALEM *Epigram. Lib. I. 3.* Tali modo noſtra homines memoria Turcos, Aethiopas, Indos, alioſque barbaros imitantur. Eundem, contendit ATHENAEVS *lib. X.* primum fuiſſe, qui ebrios perſonatos in ſcenam produxerit, cum ARISTOPHANIS *Scholiaſtes* Crati id tribuendum putet. Quod tamen hoc facilius credi poteſt, quo magis conſtat, eundem, quem diximus, AESCHYLVM grauiſſimos labores nonniſi ebrium ſuſcepiſſe, neque unquam ad res ingenioſe excogitandas aptiorem fuiſſe, ſicut ex iis, quos ſupra laudauimus, ſcriptoribus et PHILOSTRATO praeterea, licet, perſpiciamus. Si PAVSANIAM audimus, idem primus Erynnibus ſanguineos crines affinxit. Ex quo cum *Scholiaſte* AESCHYLI comparato, animaduertamus licet in SVIDA, ſiue mendum deſcribentis uitio, ſiue inſigne *ἀντιχρόνισμα*, quando Aeſchylus IX. Olympiade certaſſe dicitur, cum LXIX. ſit ſcribendum. *Maeſo* Megarenſis ab ATHENAEO *lib. XIV.* auctor perſonae famuli

muli et coqui, Maeſona exinde dictae, praedicatur, unde amplius σκώμματα μαισωνικά. De Phrynicho, qui muliercularum perſonulas, de Neophrone, qui Catonianam paedagogi figuram, effinxit, euolue SVIDAM; de *Ariſtophane*, AELIANVM *Var. lib. II. cap. XIII.* de Cratino DIONYSIVM HALICARNASSEVM, de Chriſogono Mago HESYCHIVM, de Sannyrione DIOMEDEM, de aliis alios, et uniuerſe POLLVCEM *lib. IV. cap. XIX.* apud quem ſucceſſores, qui anteceſſorum exemplo inſtitutoque, nouas elegantioreſque perſonas proferre ſtuduerunt, longa ordinis ſerie enarrantur.

§. VII.

quo utebantur in tragoediis et Satyris.

Verum tamen, ſicuti in expediendo definiendoque cuiuſuis perſonae inuentore adeo non explicata et facilia ſunt omnia, ut hic dubitationem dubitatio parere iuxta atque excipere uideatur: ita hoc quidem conſtare putamus, ex quo perſonarum uſus conſuetudoque in theatra ſeceſſerit, earum ritum Tragoediae tanquam proprium fuiſſe. Tragici enim perſonis tantopere utebantur, ut a fecibus, quibus ante inuentas hiſtrionum perſonas ora inficiebantur, quae τρύγες Graecis dicuntur, τρυγῳδία primum, deinde perleui elementi permutatione τραγῳδία, quibuſdam uideatur. Ab iiſdem fecibus ſcenicos quoſdam ludiones τρυγοδαίμονας ARISTOPHANES uocat. Quanquam nos parum praeterit, aliis aliunde Tragoediam appellari. Atque harum quidem perſonarum, quae Tragoediae uſui erant, mentionem facit IVLIVS POLLVX, nec nihil meminit DONATVS, ornatum denique

deſignat

designat LVCIANVS. Fabulam uero tribus personis absolui, docet HORATIVS *de Art. Poet.* licet DONATVS quartam quintamue etiam admittat nonnunquam. Omnem uero horum histrionum apparatum APVLEIVS *in Apolog. prior.* choragium Thymelicum dixit, propterea quod gesticulatores et mimi Graecis Thymelici uocantur, apud SVIDAM, HESYCHIVM, et alios. Sigillatim tamen ii quoque, qui ludentibus ministrabant, argumento *l. Athletas. π. de his, qui not.* Quibuscum nonnulla communia habebant ipsi praestigiatores, Circulatores, Funambuli, quos uberius exponit NOVARIN. *Schediasm. sacro prof. p. 99.* Cum autem Satyrica quoddam Tragoediae genus, uel, ut loqui solemus, quaedam eius species, quibusdam uideatur, licet alii aliud sentire malint: uideri posset a Tragoedia proxime Satyricam laruis sumsisse. Quorsum commemoranda est fabula Euripidea, Clyclopis nomine inscripta, eademque, ipso Is. CASAVBONO iudice, Satyrica, quam latine eleganterque uertit, et notis illustrauit Q. SEPTIM. FLORENS CHRISTIANVS, et secundum CASAVBONVM edidit, et *Museo Philolog.* inseruit V. C. CRENIVS *pag. 303.* Quod quidem drama solum e tot ueterum Graecorum tragicorum Satyricis ad nos peruenisse, *cap. VI. de Poes. Satyr.* docet CASAVBONVS, et aeuo iam suo solum superfuisse, magnus Homeri enarrator EVSTATHIVS *ad Odyss. Σ. p. 1850.* fatetur. Idem de illo dixit: *Ἧς (σατυρικῆς ποιήσεως) τὴν μέθοδον παραδηλοῖ ὁ μέχρι νῦν εὑρισκόμενος εὐριπίδειος κύκλωψ. ibid.* Hoc autem fabulae dramatisque genus, etsi post rudiora illa et incultiora secula minus in usu fuit: personas tamen

suas

ſuas et σχηματισμοὺς habuit, hircinis plerumque pellibus, praeter alia, quae DIONYSIVS *Antiquit. lib. VII.* et POLLVX *Lib. IV. Seg. 133.* deſcribunt. Non uacat huc afferre plura, quae ab argumenti huius illuſtratione non ſeiuncta, in pererudita, eademque Caſauboniana de Satyra commentatione eruditorum oculis, admirationique, exponnntur.

§. VIII.

A Satyrica uero ad Comoedias tranferebantur perſonae. Nam Comoedia eo prorſus anno, quo Tragoedia, ſuos nanſciſcebatur actores, qui in aetatem Epicharmi, poetae Siculi, A. M. 3600. florentis, incidere dicuntur. Hinc eſt, quod Siculi tanquam pro aris et focis contendunt, Comoedias Syracuſis, Epicharmo parente, extitiſſe, non quaſi hoc uelint, ac ſi hic ſolus omnium primus earum fuerit inuentor, cum quaedam Comoediarum fragmenta Alcaei, Epicharmo ducentis minimum annis antiquioris, hoc refellant, ſed quod primus in chorum Muſicorum introduxerit Actores. Atque adeo ſi, quemadmodum ſolet diſtingui Comoedia, in ueterem, mediam, et nouam inquiramus, earum quamque ſuis inſtructam perſonis fuiſſe, cognoſcemus. Quo fit, ut perſonarum uſum adeo peculiarem fuiſſe hiſtrionum, perſuadere audeant nonnulli, ut olim praeter illos eas adhibere conſueuerit nemo. Nam cum Comoediae pariter ac Tragoediae ad imitationem ueri inſtituerentur, ut docet ARISTOTELES *cap. IV. de Poetis*, non potuerunt etiam non hiſtriones modum huiuſmodi *quin et Comoediis.*

imitandi aptum consentaneumque inuenire, et personis, habitu ac facie simulata, in theatrum productis, res inter agendum ante spectatorum oculos ponere cogebantur. Quam ob rem THEOPHRASTI quidam locus est, *cap. VI.* ex quo discamus licet, histriones personis tectos et egisse fabulas, et aes a spectatoribus exegisse. Ipsis autem histrionum personis certus quidam προσωποποιὸς, siue personarum instructor, uel etiam σκευοποιὸς, hoc est, apparitor, praeerat, *secundum* IVL. POLLVCEM *lib. II. Segm. 47.* et *lib. IV. c. XVIII. Segm. 115.* qui eas dirigebat, earumque apparatus curam gerebat. ARISTOTELES ὄψιν uocat. Vetus ergo Comoedia, POLLVCE teste, eas plerumque expromebat laruas, quibus homines exagitabantur, uel etiam maiori ludibrio laedabantur, uti e SVIDA atque ARISTOPHANE constare potest. Id quod expertus est apud AELIANVM *lib. II. cap. 13. Socrates*, quem ARISTOPHANES, suggerentibus Anyto et Melito, larua insectatus, Comoediam νεφέλας inscripsit. Cuius comici exemplo inductum Amipsiam quendam, ordinis infimi poetam, in *Tribone, Comoedia*, eundem Socratem per ludibrium introduxisse, DIOGENES LAERTIVS in uit. Socrat. tradit. Perantiquum hunc morem, et obsoletum penitus, longo temporis interuallo in lucem reuocauit Nero, nec scenam magis, quam maiestatem imperii, foedauit, cum personas ad oris sui, et prout quamque diligeret, feminae, similitudinem effingeret, uti e TRANQVILLO et XIPHILINO liquet, et muliebri ornatu Salinam imitaretur. Veteris autem Comoediae, eiusdemque dicacissimae et liber-

liberrimae, licentia ab Athenienſibus edicto compreſſa, quod indicat HORATIVS, de *Art. Poet. u. 282.* et *Lib. II. Epiſt. I.* adeo, ut haec lex, ſi credimus Acroni, ὀνομαστοποιὸς uocata, conſimili Romanorum ſanctioni, quam AVGVSTINVS *Lib. II. de Ciu. Dei* ex CICERONE VI. de Republ refert, originem dediſſe uideatur; hac, inquam, inſectandi libidine, quae nullam cuiuſquam rationem habebat, lege coercita, media et noua extiterunt, in quibus ludicrae quaedam, et ad riſum accommodatae perſonae excogitabantur. Harum uero abſurdiſſimas, de quibus et VOSSIVS *de Poet. Graec. p. 57. 58.* inueniſſe Menander dicitur, et Maeſo, ut diximus, famuli ac coqui perſonam excogitauit quidem, minus autem, ut SCALIGER ſentire uidetur *Lib. I. Poet. cap. XIII.* omnem omnino perſonarum inuentionem ſibi uindicat, cum Crates, ut ARISTOPHANIS SCHOLIASTES, ut alii referunt, Epicharmus, ebrioſos in ſcenam produxerit, et AESCHYLVS, ATHENAEI teſtimonio, primus Iaſonem ἐν καβείροις ebrium oſtenderit, alii denique alias arbitratu ſuo perſonas addiderint, a DONATO, et uberius a POLLVCE recenſitas. Hic autem adiici poteſt ea, quam geſtantes σφηνοπώγωνας appellat LVCIANVS in Saturnalibus *p. 1031.* De Orcheſtra, cuius mentio e ludis ſcenicis reliqua eſt, exiſtimare aliter non poſſumus, idque ex ſententia PLVTARCHI, ARTEMIDORI, LVCIANI, et *auctoris ueteris carminis:*

Tot linguae, quot membra uiro, mirabilis ars eſt,
Quae facit articulos, ore tacente, loqui.

quam eam etiam ſuis inſtructam fuiſſe perſonis, ex quarum figurationibus, licet tacitis, tota proponendae fa-

bulae imitatio perſpicue cognoſcebatur. Cuius generis actores dicebantur Pantomimi, Geſticulatores et Thymelici, qui aut ſupra menſam in foro canentes ſtabant, aut ſecundum VLPIANVM ludentibus etiam operam nauabant, iuri Pontificio Mimi, quorum tribunus Archimimus uocabatur, appellati. Laruam hanc talem ſcenicam ſiſtit numus, ducis Croyi cura excuſus, Tab. V. numero XVII. qui collum non habet, quod nunquam hominum aut Deorum capitibus deeſſe, in numis conſpicimus, et ſignificat, Panſam ludos ſcenicos dediſſe, ſi FVLVIVM VRSINVM et ALBERTVM RVBENIVM audimus. quamuis ADVLPHVS OCCO caput Panis intelligi ante hos malit, et LAVRENTIVS BAYERVS, quem honoris cauſſa nominamus, per hanc Panis Laruam, non ſolum ad Ludos ſpectari; ſed etiam ad nomen Panſae, qui numum ſignarit, alludi, animaduertat.

§. IX.

et Romani. Nec uero diſſimili ratione in Quiritium republica ritus perſonarum coepit atque excultus eſt. Etenim, quod BVLENGERVS ex DIOMEDE affert, ante *Liuii Andronici* tempora nullae perſonae, ſed galeri tantum, Romano more, adhibebantur. Sed paulo poſt, cum ei nouus uelandi modus, idemque Graecorum conſuetudine celebratus, non diſpliceret fortaſſe, Roſcius Gallus primus apparuit perſonatus, ut teſtatur CICERO, *Oratione pro P. Quinctio.* qui eius, ob ſummam in rebus ſcenicis dexteritatem, uſumque, longe maiorem minutiis his conditionem et dolet, et miratur. Cuius inſtitutum, auctoritatemque, ſecuti ſunt in comoedia *Cincius* et *Faliſcus*, in Tragoedia *Minutius* et

Pro-

Prothonius, ut legimus apud DONATVM, qua in *Terentium* praefatur. Voluerunt autem nonnulli, primam ex omnibus quandam *Naeuii* fabulam perſonatos habuiſſe hiſtriones, unde et perſonatam dici fabulam contendunt. Sed cum poſt multos annos, ut ait FESTVS, Comoedi et Tragoedi perſonis uti coeperint, uerosimilius eſt, eam fabulam propter inopiam Comoedorum actam nouam per Attellanos, qui proprie perſonati uocantur, quia iis, nulliſque praeterea aliis, hiſtrionibus, perſonam non ponere, ius fuit. Atque horum quidem rudera et ueſtigia quaedam in Campania reliqua eſſe, PACICHELLIVS credit. Terentii uero aetate, hiſtriones perſonatos egiſſe, praeter DONATVM, ex antiquo Terentii codice conſtat. Dixerit autem quiſpiam, circumforaneos illos, agyrtas, exemplo illorum hominum, quos die Marckſchreyer uocamus, qui cantionibus inconditis, et rudi dramatis cuiuſdam ſpecie, credulum atque imperitum uulgus alliciunt, ut medicamentis ſuis fallant, ſuperioribus temporibus non defuiſſe, nec minus, quam hoc aeuo, perſonis uſos eſſe, cum argumenta plerumque e Comoediis mutuarentur. Non defuerunt certe, ſi fidem habemus ATHENAEO, qui hoc facerent, quos μαγῳδὸς, ut et STRABO *Lib. XIV.* auctor eſt, artem uero μαγῳδίαν idcirco dicit appellari, quod ſuis illi cantionibus magicae artis praeſtigia medicamentorumque uires declararent; hoc uero ſaepiſſime, argumento a Comoediis petito, uarias perſonas repraeſentaſſe, nunc feminae, nunc lenonis, nunc adulteri, nunc temulenti. HESYCHIO μαγῳδὶς eſt ſaltatio, ὄρχησις

 ἀπάλη

ἀπάλη dicta, ut ait ille, a Chrisogono, Mago. compara Gisberti Cuperi *Obseru. lib. I. cap. 10.* Accessisse ad Magos quoquo modo uidentur ii, quos Athenaeus φαλλοφόρους dicit uocari, item, quos ἰθυφάλλους ex *Semo Delio*, quorum illi, quasi histrionum praesultores, in scenam prodibant, carmina quaedam Baccho praecinentes, non iis quidem personis faciei admotis, sed hederaceo quodam integumento adoperti, sic ut peculiares quodammodo personati apparerent. ἰθύφαλλοι uero personati prorsus, coronarumque gestantes, ebrios referebant, quorum munus erat, ut φάλλον gestantes, carmen quoddam obscoenum, quod nomen ipsum designat, in theatris praeferrent, idque idem forte est, quod φαλλικὸν ὄρχημα ἐπὶ Διονύσῳ, Pollvci *Lib. IV. c. XIV.* dicitur Phallica saltatio in honorem Bacchi. De affini modo dictis ὀρχήσει, quae inter scenae spectacula plurimum admirationis habuit, de qua et uetus extat Epigramma, saltatores habuisse personas, uerisimilitudo declarat, ex diuersae imitationis necessitate repetita, quando sine tali figmento accurate exprimi non poterat illa pars ὀρχήσεως, quam e tribus secundam, σχῆμα uocat Plvtarchvs, *Lib. IX. probl. XV. Sympos.* quod in eo gestu consisteret, ex quo propositae fabulae imitatio dignoscebatur. Idem aperte ex Artemidoro *cap. LXXIIX. Onirocr.* et apertius ex Lvciano *in Saturnal.* cognosci potest. Commemorat scenicas et theatrales has laruas Horativs, *lib. I. Satyr. V.* cum iisque institutum saltandi coniungit. Vbi saltare Cyclopa dixit, quod alibi, *Epist. II. lib. II.* est agrestem Cyclopa mouere.

Quo

Quo loco docemur, histriones sese comparasse conuenienter rei, quam in theatro repraesentandam putarint, ob eamque rem opus fuisse laruis et cothurnis, ad similitudinem huius saltationis, et personae ex decoro repraesentandam, ut bene explicat PETR. GVALT. CHABOTIVS ad h. l. Cyclopa saltare est habitu, gestu, motu imitari. Hinc Cyclopea uocantur ludi scenici, ubi Polyphemus fingebatur saltans praepostere, incondite et monstrose, extra numerum et decorum, quod HESYCHIO est ῥιχνοῦσθαι, τοῦτ' ἔστι, κινεῖσθαι αἰσχύνως, ut motus incompositi, quos dixit MARO, indicentur. Harum laruarum non puduit Neronem, qui teste TRANQVILLO *cap. LIV. sub exitum quidem uitae palam uouerat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partae uictoriae ludis, etiam hydraulam et choraulam, et utricularium, ac nouissimo die histrionem, saltaturum* Virgilii Turnum, hoc est, gestu, metu et sermone imitaturum. Spectat ad hunc ritum sub personis saltandi ARNOBIVS *lib. VII. adu. gentes. Si Europa, si Leda, si Ganimedes fuerit saltatus, aut Danae.* Immo uero huius generis saltatores ex eo Pantomimorum nomen cepisse, idem ARTEMIDORVS asseuerat, propterea, quod hi a multifario imitandi genere dicuntur. Quam quidem artem circa Augusti tempora extitisse, auctor est ZOSIMVS, de quo plura, si lubet, uel ex LVCIANO, uel ex PLVTARCHO, uel etiam ex ATHENAEO *Lib. I.* peti possunt, nisi ex iis uelimus, quorum multa *Scaliger cap. XIIX.* et *Bulengerus Lib. I. de Theat. cap. XIV.* collegerunt. Sed ne plura in eam dicamus sententiam, hoc quidem inter rerum Ro-

mana-

manarum non ignaros prorſus conſtat, omni omnino tempore Romae hanc animi oblectandi rationem, quae ex perſonarum uſu petebatur, probatam fuiſſe, adeo, ut, qui conſecuti ſunt Imperatores, ut olim Clearchus Pacificus, Heracleae tyrannus, Auguſtus, Tiberius, Nero, Caius Caligula, Commodus, et alii, ſaepenumero ſingularem exquiſitamque ex ea caperent uoluptatem. Quorum quoſdam, infami Neronis exemplo, apud TRANQVILLVM *cap. XXI.* conſtat, maieſtatis ſuae immemores tragoedias cantaſſe perſonatos, aliiſque ludibriis, auctoritatem minuiſſe, quae e SVIDA, HERODIANO et XIPHILINO colliguntur.

§. X.

unde laruae ſacris.

Cum autem Romani aeque ac Graeci inique et perperam facere ſibi uiderentur, tam commodum praeclarumque luditandi inuentum unius itemque alterius uſu temporis tantum terminare ac definire: ritui huic laxamentum poſtea dabant, eumque ubicunque temporis locique ratio ferre uidebatur, prudenter accommodabant, adeo, ut ad ipſos etiam lugubres luctuoſoſque actus tranſferre non dubitarent. In primis tamen eorum ratio habebatur in ludis theatralibus, quorum primordia a Cantico Canticorum Salomonis perperam capit IACOBVS BENIGNVS BOSSVETIVS, *Epiſcopus Meldenenſis*, rectiuſque a Liberalibus ortos eſſe, ad Georg. II. SERVIVS, et ad Terentium DONATVS notat. Atque adeo non ſolum habebant laruas lugubres et funerales, ſed etiam ſacras et feſtiuas, conuiuales item, bellicas, triumphales et promiſcui generis

neris alias, in primiſque theatrales. Laruas, quas uocabant, feſtiuas ſacris feſtiſque diebus, qui Numinum commentitiorum honori conſultum uolebant, adhibebant, tanquam in Saturnalibus, menſe Decembri inter Dominos et ſeruos, idque in honorem Saturni, ut LVCIANVS et MACROBIVS *in Saturnal.* declarant. Atque his quidem ſolemnibus diebus tradit LVCIANVS, praeter cetera ſolutioris ludi genera, facie fuligine oblita, incedere, fas fuiſſe. Quam conſuetudinem feſtam in Franconiam poſtea delatam eſſe, indignatur BONIFACIVS in Epiſtola ad Zachariam Pontificem. Talem morem uidit olim Perſis in Sacrarum feſto, cum diebus quinque in heros familiamque poteſtate uterentur, teſte DIONE CHRYSOSTOMO de *Regno Orat. IV.* Nec uero praetereunda ſunt Saturnalia, feminarum etiam propria, quas ad Kal. Martias, reiicit LAZIVS *Lib. X. Comment. cap. IX.* in quibus conſimilis ueſtium mutatio obtinebat, uti e MACROBIO quoque *Saturnal. I. cap. XII.* intelligi poteſt. Amplius in Nonis Caprotinis, die quincto Menſis Iulii, ancillas inter et famulos haec talis mutatio recepta erat, cum inter eos, ne qua altercatio inuidentiae cauſſa exiſteret, ancillae, conſtituto die, matronalem indutae habitum, conſpicerentur. Cuius moris rationem diſce a PLVTARCHO *in Parallel.* et alibi. Etiam ſcriptorum monimentis, et DIONYSII HALICARNASSENSIS *Lib. VII. Hiſt. Rom.* commemoratione celebratur ſolemnitas Ceruuli ſeu Cerulae, Kalendis Ianuarii peragi ſolita, qua homines profani, animantium facie aſſumpta, apparuerunt, et Silenos ac Satyros uilloſas iuduti ue-

ſtes, retulerunt. Nec temere quemquam fugiunt Bacchi ſolemnia, in quibus perſonas adhibitas fuiſſe, ſcimus. Certe Threiciarum mulierum habitus laruas repraeſentauit, ut colligi poteſt ex Ovidio *VI. Metam.* Ac ſigillatim Maro, *ora corticibus horrenda cauatis* his ſacris ſumi, teſtatus eſt, neque aliud, quam perſonarum uſum, illuſtri indicio demonſtrauit, et oſtendit ſimul, conſuetudinem hanc non Thracibus modo cognitam, ſed Graecis etiam, Latiniſque tritam, et perantiquam, fuiſſe, *Georg. II. u. 380.* Conſtat autem, Latinorum poetarum principem, non illa intueri Bacchanalia, quae peccandi laſciuia ſordida, et flagitiorum licentia obſcena erant, ob eamque turpitudinis et dedecoris publici cauſſam ex finibus Romanae reipublicae exterminabantur, auctore Livio *lib. XXXIX.* Agit potius de iis, quae in honorem Liberi Patris inſtituta, Liberalia, et Graecis Διονύσια dicebantur. His autem maior uinearum fertilitas quaerebatur et expetebatur, nec foedi nocturnique Bacchantium congreſſus fiebant, ſed tempus rebus ad ludum iocumque ac riſum comparatis, exhilarabatur, et largiore meri inuitatione, cum quouis anni tempore, tum ſtatis praecipue diebus, conſumebatur. In Latio publico feſtoque ritu celebrabantur poſt initia ueris, cum a fecibus eximerentur uina; in Graecia, menſe, quem ποσειδεῶνα uocant, ſiquidem Theophrastvm χαρακτ. *cap. III.* audiamus. Haec, ut dixi, erant Liberalia, a Bacchanalibus illis diſtincta, quorum nocturni et turpiſſimi congreſſus noti ſunt, in quod genus quaedam erudite dixit Riccobo-

NVS

NVS *de Gymnas. Patau. Lib. VI. cap. XIII.* et quorum originem in *Euterpe* explicauit HERODOTVS, cum mulieres publico turpitudinis exemplo foedam *Phalli* seu mentulae imaginem cum larua circumferrent, idque facie papyro tecta, et corona ex hedera imposita, uti e PLVTARCHO et PASCHALIO *de Coronis*, liquet. Ortum rei inuestigauit, qua solet cura, POLYDORVS VIRGILIVS, de eaque copiosius dixit LIVIVS *lib. 39.* laudato. Multa cum horum solemnium turpitudine, infamiaque, communia habere iuniorem *Fratricellorum* morem, declarat P. PHILIPP. IACOB BERGOMENSIS *in Supplem. Chron. Lib. XIII. fol. 310.* Immo uero Lupercalia ueterum, quae Februario mense colebant, multa cum Bacchanaliorum lasciuia communia habebant, de quibus PLVTARCHVS *in Caesare*, et alii, passim. Pari modo in Minusculis Quinquatribus, in honorem Mineruae Eidibus Ianuariis, uel secundum alios Eidibus Iuniis, huius generis personae suscipiebantur, Eidibus Ianuariis, si PLVTARCHVM *Quaest. Roman. IV.* sequamur; sin NASONEM *VI. Fast. et* CENSORINVM *Cap. XI.* Eidibus Iuniis. Hoc illud est, quod VALERIVS tradit, *personis tecto capite, uariaque ueste uelatis, concentus edere, Lib. II. cap. V.* Eundem ritum in Megalensibus a die ante Nonas Aprileis, usque ad Quinctum Eidus, in honorem Matris Magnae, obtinuisse, perspicuum est ex HERODIANI *lib. I.* Quo teste, omnibus, quemadmodum collubitum esset, ludere licebat, adeo, ut quam quisque uellet personam, asciceret, nec tanta cuiusquam amplitudo esset, quin eius personam imitari integrum foret, ea occultandae uerae speciei pru-

dentia adhibita, ut imitantem ab eo, qui imitando exprimeretur, internoſcere difficile eſſet. Cuius licentiae praeſidio uſi quondam, Commodo inſidias fecerunt, infelici tamen conſilii exitu, quando a puero res conatuſque prodebatur, apud HERODIANVM. Atque haec illa ſunt ſacra, in quibus ante ſimulacrum Deae ludere et pſallere ſolitas fuiſſe graues cetera, pudoriſque retinentes matronas, ALEXANDER AB ALEXANDRO *Gen. dier. XVI. cap. XIX.* et conuiuia inſtructa eſſe, idem uerſus, ſcenaeque ſpectacula exhiberi, OVIDIVS *lib. V. Faſtor.* teſtantur. Conſimilem perſonarum uſum in ſacris Bonae Deae commemorat APVLEIVS, *lib. VIII. Metam.* in feſtis, itemque Solemnibus Syriae Deae, *idem Metam. lib. XI.* Qui quidem loci uel idcirco ad memoriam inſignes ſunt, quod iis hodierni Carneualis ritus et ratio accurate exprimitur, atque in ipſis obſoletae antiquitatis reliquiis et ueſtigiis repraeſentatur. Et quoniam perſonis non oris tantum, ſed ipſius etiam corporis integumenta extra ordinem induta deſignamus: ad feſtas etiam et ſolemniores perſonas referendus eſt habitus antiſtitis Coi, qui cum Herculi rem diuinam facere uellet, femineam induit ſtolam, et uitrum capiti accommodauit, apud PLVTARCHVM *Quaeſt. Graec. LVIII.* Eodem ritu apud Naharualos in Sueuia Caſtori et Polluci rem diuinam factam, e TACITO conſtat. Attinet hic, ſacra mulierum Archiuarum anniuerſaria, quae ὑβριστικὰ dicebantur, commemorare, propterea, quod ad contumeliam ſexus uirilis pertinerent, feminis in uirilem, uiris in femineum uerſis habitum, indicio patriae, mulie-

bri

bri uirtute ab hoſtibus Spartanis defenſae ac ſeruatae, apud eundem PLVTARCHVM *in mulier. uirtut.* Nec uero ab hoc loco aliena ſunt ſacra uel Veneris, uel Mutini Titini: quorum altera, ut eſt apud MACROBIVM *Lib. III. Saturn. cap. VIII.* mas pariter ac femina a Cypriis habebatur, ob eamque cauſſam ſimulacrum eius ſtaturam, et uirilem ſpeciem, cum barbatum eſſet, habebat, femineo autem ornatu tectum erat, et ſacrificantes ei in Attide uiri pariter cum mulieribus ueſtes permutabant; alterius, teſte *Feſto*, ſacellum fuit Romae, cui mulieres uelatae togis praetextis ſolebant ſacrificare. Miſſam facio Carthaginienſium morem immanem prorſus, ac pluſquam barbarum, qui liberos, Saturno immolandos, alia et peregrina induerunt ſpecie, forte, quo minus affectu cognitae formae mouerentur, ut ex *Empedocle* narrat PLVTARCHVS περὶ δεισιδαιμονίας. Ecquid tandem aliud, quam feſtas intelligas perſonas, cum Aegyptus in ſupplicationibus Deorum, ut *Mileſia fabula* teſtatur, uarios habitus aſciſcit. Hic canicipiti tegumento, ille feliformi, hic myſticam uannum, aut palmam, alius amphoram geſtat. Quidam ciſta, quidam aſpide inſignes. Alii urnulam anſatam et ſiſtrum, uel ſoccis, uel ſerica ueſte, et compoſitis crinibus, feminam ſimulant. Vel pallio et baculo et hircino barbitio philoſophum fingunt. Vel purpura et faſcibus magiſtratum ludunt. Quae omnia, ut colligit C. CALCAGNINVS, ſunt perſonatorum ſimulacra, et ad eorum imitationem comparata. Nec uero dubium eſt, quin olim ipſae etiam ſponſae ſuas geſſerint

personas, easdemque festas et solemnes, cum ueteri ritu nouae nuptae fronti flammea pudoris ergo praetenderent. Quo factum est, ut solemni die ac ritu ἀνακαλυπτήρια celebrarentur, ubi nempe retegebantur. Praetereo reliqua solemni anniuersariaque ceremonia quae colebantur sacra, quae eodem uelandi ritu insigniora reddebantur, cum cultus fere omnis, quo ueteres Romani, aliaeque gentes in sacris utebantur, ad personarum ritum accedere uideatur, quando uere pronunciauit Io. DOVGTAEVS, *Analect. sacr. P. Posterior. Excurs. LXXIIX.* antiquos sacra qualiacunque seu precum, seu oblationum, operto capite fecisse. Huc attinet illa lex, religiose culta: Ἐν ναῷ ϰ̀ ἱερῷ γυμνοῦν ἑαυτὸν ἀθέμιστόν ἐστιν, apud PLVTARCH. *Quaest. Rom.* Ritus etiam praecipitur *III. Aeneid. u. 405.* ex Heleni persona. Immo uero nullus consecrandi ritus, quo Imperatorum et magnorum illustriumque hominum animae in Deorum concilio senatuque collocabantur, et qui Graecis ἀποθέωσις dicitur, peragi solitus est, quin homines uariis tecti integumentis uelamentisque, conspicerentur, uti ex DIONYS. HALICARNASSEO, HERODIANO, TRANQVILLO, aliisque, constat.

§. XI.

in conuiuiis, Laruae conuiuales conuiuiis et priuatae domesticaeque societati, ipsis etiam solemnibus et regiis principalibusque seruiebant. Quam in sententiam reuocari in memoriam potest cognitum satis epulum Augusti, quod δωδεκάθεον dicebatur, propterea quod sex Dii personati totidemque Deae, huic intererant

et

et discumbebant. Has Dearum personas olim suscipiebant Persarum reges, qui nihilo inferiores Diis uideri uolebant, cum fastu insolentiaque *animi elati, subiecta nunc pedibus suis sphaera, ut polum se calcare per uices mentiantur, nunc radiato capite, ne sint homines, solis resident in figura, nunc impositis sibi cornibus, quasi uiros se esse doleant, effeminantur in Lunam, nunc uarias uelut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram, et nihil supernae claritatis non acquirant*, ut ait PETR. CHRYSOLOGVS, *Serm. XX.* Ad cuius generis conuiuia accedere solebant Chiromimi, e theatro uocati, et artificiosa manuum digitorumque commotione insignes, qui sub persona alia, forsan plurium artificiorum specimina dabant, uolucres certe, et cetera obsoniorum genera scissorio gladio diuidebant. Referunt PETRONIVS, IVVENALIS *Satyr. V. u. 121. et Satyr. VI. u. 63.* LVCIANVS, et alii plures. Immo uero cum Comus commessationum Deus uulgo crederetur, docet PHILOSTRATVS ἐν εἰκόσι, eum stipatum fuisse comitatu, in quo mulierculae cum uiris incedant, et calceamentum commune habeant, et praeter solitum propriumque morem amiciantur. Attinent huc, qui oblectandi conuiuas caussa, personas sumebant, et uario habitu Deos Deasque aut alios quosuis mentiebantur, Plane illius exemplo, qui caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus, Glaucum coram Antonio saltauit, ut est apud VELLEIVM PATERCVLVM *lib. II. cap. LXXXIII. 2.* Ad quem locum scite, ut solet, animaduertit GISBERT. CVPERVS, eos, qui Deos marinos

rinos repraesentabant, caeruleatos fuisse, *Apotheos. Homerica pag. 53.*

§. XII.

in praeliis, et triumphis, Bellicae et triumphales sumebantur, cum duces et milites, uel perterrefaciendi, uel fallendi ac capiendi hostis caussa, exirent, uel cum fuso fugatoque hoste, triumphi laetitia gaudioque elati et uictores redirent. Gelonos, tradit POMPONIVS MELA, *cap. I. Lib. II. et* SOLINVS *cap. XXV.* cum in praelium proficiscerentur, hostium cutibus equos, seque uelasse, illos reliqui corporis, se capitum, more Anthropophagorum quotidiano, quos cutibus cum capillo pro mantilibus ante pectora usos esse, PLINIVS *lib. VII. cap. II.* testatur. Pari modo Aethiopas, refert ALEXANDER *ab* ALEXANDRO *Dier. Genial lib. I. cap. XV.* alteram corporis partem minio, alteram gypso illinere consuesse. Auctor etiam est HERODOTVS *in Vrania*, Telleam quendam Eleum sexcentos Phocensium lectissimos non minus, quam eorum arma, gypso obleuisse, quos noctu Thessalis immissos, principio excubitores, in modum prodigii, tum omnis hostium exercitus tantopere perhorruerit, ut parata Phocensibus uictoria relinqueretur. Nec uero quotidiano habitu in aciem certamenque descendebant Hunni, terribile quondam et formidolosum nomen, quos commemorat BONFINIVS *lib. II. Hist. Hung.* hirsutis pellibus corpus contexisse, barbisque promissis, et crinibus intonsis, uillorum instar, feroces, tantum terroris toruis obtutibus adiecisse, ut solo aspectu, nedum congressu, hostes

hostes exterrerent. Nihilo mitiores uideri possent Turci armaturae leuis equites, quos narrat NICOLAIVS *lib. IV. cap. XIII. Itiner. Oriental.* Dellyos dici, et uillosis ursorum pellibus totum corpus, caput autem Leopardi exuuiis, contegere, et eximii armamenti loco usurpare, Aquilae caudam in medio frontis gestare, alis uero eiusdem, parmae infixis, laruae quoddam simulacrum referre. Praeterea constat, Hannibalem, apud Celtas hibernantem, cum, odio ab Romanis in se uerso, parum iis fideret, seque ab insidiis muniendum putaret cuiusuis generis capillamenta, uestitumque conuenientem, asciuisse, adeo, ut occurrentes deciperet, uixque ab intimis familiaribus dignosceretur. Narrant, quod diximus POLYBIVS *lib. III.* ex eoque LIVIVS, et SVIDAS. Nec uero minus Historici, in primisque FRONTINVS et POLYAENVS, fidem faciunt, fallendi hostis caussa saepe numero militum praestantiores quosque, data nocendi occasione, uel femineum habitum cum Solone contra Megarenses, uel hostilem etiam, cum Dario aduersus Sacas, Cimone aduersus Persas, Catone aduersus Poenos, et pluribus aliis, induisse. Cum autem neminem fugiat, quanta olim militum in triumphis licentia, quantis cum conuiciis iocisque, ac nescio quo delectandi genere fuerit coniuncta, uti cum aliunde, tum ex MARTIALIS *lib. IV. et lib. VII.* perspici potest: facile suspicari possemus, ab iis, non minimum oblectationis genus, laruarum personarumque usum, non abfuisse: Sed perspicue tradit ZONARAS *T. II. in Diocletiano*, antequam personas ceteras inuenerint scenici, facie ficul-

neis foliis uelata, dicteria uersibus iambicis protulisse, eamque licentiam et milites in uictoriae solemnitate, eodem ornatu, in uictores adhibuisse, adeo, ut inde nomen triumpho extiterit. Certe ex θρίον, ἴαμβος, θρίαμβος, triumphus, uerbo non nihil mutato, quidam deducunt, neque id Suidae displicere uidetur, quamuis alii aliunde uocabulum hoc repeti uelint. Compara ETYMOLOGIC. M. h. u. Quicquid erit, sat erit, laruas triumphis non incognitas fuisse. Parum uero abest, quin personatum quendam exercitum nobis in conspectum producat Alexander ille M. quem commessabundum Caramaniam peruasisse, Bacchicumque imitatum esse triumphum, adeo, ut exercitus eius non militum, sed furentium Baccharum chorum referre uideretur, e Q. CVRTIO, aliisque, qui eius res gestas literis mandarunt, constare potest. Demum, si milites cono, galea, casside, obtectos consideramus, dubitare non possumus, quin Mars suos habeat personatos.

§. XIII.

et alias promiscue, Cetera laruarum genera, quae praeter commemorata Romanorum Graecorumque usu recepta fuerunt, certo quodam et definito nomine comprehendi commode nequeunt, nisi dicere uelimus, eorum pleraque in libero quodam et uoluntario dissimulandi genere, quod nocturnis grassationibus, prohibitis conuenticulis, ad uoluptatis, luxus, fastusque licentiam comparatis, atque adeo prodigiosae, et auersae nonnunquam, Veneri, peccati occultandi spem ostenden-

dentibus, posita fuisse. Hac excitati proteruia, adolescentes personati Socratem, a coena redeuntem, nocte concubia, clam ex insidiis expectarunt, cum facibus accensis et furiarum personis, apud AELIAN. *Var. Hist. IX. 29.* De Nerone, uariis uestium generibus et comis appositis, habitu in sui dissimulationem composito, urbem peruagari solito, tradunt TACITVS *XIII. Annal.* TRANQVILLVS *in uita eius*, *et* XIPHILINVS. Non aliter de Vero scribit CAPITOLINVS, qui uitiorum Caianorum et Neronianorum aemulus, uagabatur noctu per tabernas et lupanaria, obtecto capite cucullione uulgari uiatorio. Heliogabalus quoque sic discursauit, tectus cuculione mulionico, ne agnosceretur, ut memoriae prodidit LAMPRIDIVS *in eius uita.* Ad ambitionem, incertum, an ad oblectationem animi, an, quod uerius reor, ad utramque referas, cum Antonius, illecebris irretitus, Cleopatrae, nouum se Liberum Patrem appellari iussit, et redimitus hederis, coronaque uelatus aurea, et tyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, uelut Liber Pater, uectus est Alexandriae, apud VELLEIVM PATERCVLVM *Lib. II. cap. LXXXII. 4.* Inde Διόνυσος νέος uocari coeptus est, ut testatur PLVTARCHVS. Non dissimili habitu complures Bacchum reddere studuerunt, in iisque Mithridates, Antigonus, C. Marius, Alexander M. quamuis alioquin alii aliorum Deorum ornatum cerimoniamque aemularentur. Exponit SCHOTTVS, *Obseruat. Histor. 3. 3. et* FREINSHEMIVS *ad Q. Curtium Lib. IX. 10. 24.* Exempla plura passim occurrunt, eoque a nobis omittuntur. Illud uel aliud agendo addimus, ueteres

hanc morum proteruiam coerceri maluisse, constit uto singulari magistratu, qui homines, noctu licentius diuagantes, multaret, sicuti ex Sosiae serui uerbis apud PLAVTVM *in Amphitruone* constat. Neque uero inficiandum est, easdem nonnunquam ad bonum finem spectasse. Quo pacto nobilis femina, Axiothea Philasia, una cum Lasthemia Mantinea, uirilem induta uestem, ne cognosci a quoquam posset, ad Platonem audiendum cupide itabat, eiusque auditoribus immixta, eodem uestita habitu, PLVTARCHO et LAERTIO testibus, sapientiae studium discebat, ac percipiebat. Alia, eademque plurima exempla omitto, quae finis boni laudatique circumspectione, personarum caussam facile agunt et tuentur. Optimum igitur factu uidetur, ut omnes omnino has, quae malum, bonumue, respexere finem, laruas, si aliter fieri non possit, promiscuarum titulo laruarum uenditemus.

§. XIV.

dicta confirmantur aliis exemplis.

Iam operae pretium foret, quae modo asseuerauimus, exemplis, fide praestantibus, multorumque indicio scriptorum per partes firmare, nisi toties ingeminatus MARISCOTTVS, omni omnino hoc labore iam dudum nos leuasset. Quo circa, quod horum interest capitum, minus autem amplius, euoluendus diligenter, legendusque erit. Quod si cultum, cui dedita erat superstitiosa antiquitas, attentius consideremus, cum eoque Mythologiam ueterem comparemus, meras hic, et innumerabiles prope laruas personasque inueniri, intelligemus. Illi enim Dii,

non

non niſi perſonati ſub oculos cadunt, et aereis tecti corpuſculis, oculis hominum exponuntur. Taceo Iouem, ac numina cetera, ipſum etiam Protea, qui in mille formas, et in cuncta rerum miracula, uertitur ac mutatur. Ac conſtat ſatis, Romae cenſores non prius ſuſcepiſſe et egiſſe quicquam, quam Iouem miniandum et anſeres paſcendos locaſſent. Quorſum ceritos, laruatos, citerias, manducos, mormolycia, aliaque plura huius generis monſtra, ueteres adhibebant. Vnum de laruis, quas meminimus, Theatralibus ſubmonemus, eas nunc in altioribus theatris, nunc in planitie, cum fabulae agerentur, in primis adhiberi, conſueſſe. Fabula autem, ſi audimus DONATVM *in praefat. ad Terentium*, generale nomen eſt, eiuſque duae primae partes ſunt, Comoedia, et Tragoedia. Tragoedia una quaedam ſpecies eſt, Satyrica, magis excellentiae, quam temporis ratione habita. Comoedia uero multas ſpecies agnoſcit, aut enim eſt palliata, Graecum habitum ferens, aut togata, a ſcenicis atque argumentis Latinis iuxta formam perſonarum habitum togatum deſiderans; aut tabernaria ab humanitate argumenti et ſtyli, aut Atellana, a ciuitate Campaniae, ubi actitatae ſunt plurimae, quae ſalibus et iocis erant compoſitae, atque in ſe non habent, niſi uetuſtam elegantiam; aut mimus, a diuturna imitatione rerum et perſonarum, cuius ſuo modo ſubſpecies accenſeri poſſunt Magodia, nec non Ithyphallorum, Phallophorumque cantiones, ut et ceteris mirabilior, et quam noſtra aetas ignorat, Orcheſtice: aut Rhintonica ab actoris nomine; aut pla-

nipedia, ita dicta ob humilitatem argumenti, ac uilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede; uel ideo, quod non ea negotia continet, quae personarum, in coenaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. Lege supra laudatum GISBERTVM CVPERVM *l. c.* Vnumquodque autem eorum certas suas habet personas et σχηματισμοὺς, earumque ad imitandum apparatus ὄψεως nomine uenit. Ipsi uero personarum instructores προσωποποιοὶ, uel σκευοποιοὶ, hoc est, apparatores uocantur. Harum uero aliarumque, quae huc attinent, rerum, qui pleniorem accuratioremque appetit doctrinam ac cognitionem, unici ALBERICI GENTILIS, *ICti Clariss. et Professoris Regii*, *duas* adeat *dissertationes*, quarum una de *Pöetis*, altera de *actoribus et spectatoribus* fabularum agit, cum iisque comparet *cap. II.* MARISCOTTI, ubi quod ad diuisionem ludorum theatralium non diffitemur, meliorem docendi ordinem optandum esse. Hos tamen, quos diximus, libros siquis euoluat, dubium non est, quin legendo animum explere possit,

§. XV.

habitus personarum speciatim dictarum.

Quibus ut aliquam supplementi accessionem adiungamus, pauca haec subteximus, quae uarios habitus, quibus in Graecis Latinisque theatris personae pro conditione naturaque sua distinguebantur, indicent, eademque e DONATO repetita. Comicis senibus candidus uestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse commemoratur. Adolescentibus discolor tribui-

tribuitur. Comici ſerui amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquae gratia, uel quod expeditiores agant. Paraſiti cum intortis palliis ueniunt. Laeto ueſtitus candidus, aerumnoſo obſoletus: purpureus diuiti, pauperi Phoeniceus datur. Militi chlamys purpurea: puellae habitus peregrinus inducitur. Leno pallio uarii coloris utitur: Meretrici ob auaritiam luteum datur. Vlyſſes palliatus ſemper comparet, ſiue quod aliquando inſaniam ſimulauit, quo tempore tectum ſe eſſe uoluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munituſque plurimum ſociis profuit. Achillis et Neoptolemi perſonae diademata habent, quanquam regalia ſceptra nunquam tenuerint. Compara tamen, quae Octavivs Ferrarivs et Gisbertvs Cvpervs, in illam Donati deſcriptionem erudite commentati ſunt. Reliqua dimitto. Quo quidem loco nobis perſuaſerit nemo, hos Graecorum Latinorumque Comicos corpore tantum, non uultu ſimul, uelato diſſimulatoque, in ſcenam prodiiſſe, populoque ſpectaculo fuiſſe. Secus enim ut ſentiamus, omnium omnino ueterum, in primiſque Ivlii Pollvcis *lib. IV. cap. XVIII.* et Lvciani *de Saltatione* auctoritas nos adducit et confirmat. Vltimi horum, Luciani, ſententia, ut ſolet, neſcio, quid Satyrici habet, et illud uult. Ornatus hiſtrionum turpe et minime iucundum ſpectaculum, homo longitudine deformi atque incompoſita exornatus, altis calceamentis ingrediens, caput larua minaci obductum habens, tum peramplo ore hiante, quaſi ſpectatores deuoraturus. Mitto

aſciti-

aſcititia pectora, et uentres factitios, adiunctam et arte compoſitam corporis craſſitudinem etc. Quo rem ad liquidum perducamus, et, quid cadat ſub aſpectum, ueterum perſonatorum quoddam exemplum praebeamus praeclarum, operae pretium facturi uidemur, ſiquidem ex antiquo Terentii Codice, manu exarato, qui Romae in Bibliothecae Vaticanae ſcrinio ſancte aſſeruatur, et *Sponio* iudice, mille fere annorum ſpatium excedit, perſonarum theatralium, quibus uultum non magis, quam totum corpus, uelatum uidit adſpexitque Terentii aetas, exempla, iconibus expreſſa, primo quoque tempore, adiiciamus. Hanc enim felicitatem conſecuti ſumus, ut effigies has, periti artificis manu per partes illuminatas, depictaſque, poſſidere liceret. Quas ubi quis primum inſpexerit, fateatur, neceſſe eſt, aetatis tantae fidem, ſi non dubiam plane, certe difficiliorem reddere figuras, quae hodiernis hiſtrionum Italorum perſonis, ultra, quam dici poteſt, ſimiles uidentur. Sedm eminerit, quantum huic libro tribuant uiri cetera emunctae naris, ob eamque rem fidem eius ſolicitare, atque in dubium uocare audeat neutiquam. Equidem hunc laborem ante nos occupaſſe non modo Fulvium Vrsinum, in *ueteri Triclinio*, ratus eſt amicus quidam, ſed euoluto inſpectoque hoc ſcriptore, falſo. Verum in primis Anna Daceria, Tanaqvili Fabri, *F.* in noua, eademque Gallica 1691. *Terentii* interpretatione, idque maiori et potiori, quam Faber, iure, quando ope beneficioque Thevenotii, in bibliotheca regia Pariſienſi, non ſolum multos *Terentii* Codices manuſcri-

ptos,

ptos, quibus multa cum Romano exemplo conueni-re uidentur, confecto tamen iam interpretandi nego-tio, uidit, et peruolutauit, ſed ipſas etiam icones, editione tamen Bataua, ſcite adeo non expreſſas red-ditaſque, ut ligneis ſimiliores uideantur, omnium perſonarum, quibus actores Andriae faciem praete-xere conſueuerunt, earundemque tredecim adiicien-das curauit. Anno 1717. recuſa eſt a Rotterdamenſi-bus, nec tamen cultior reddita. Sed licet multa qui-dem de figuris in codicibus, quorum nouiſſimus octo uel nouem ſeculorum minimum eidem uidetur, re-pertis, in praefatione obſeruat; earum tamen ueram germanamque effigiem non exhibet. Atque ut ab iis, quae deſcripſit quidem *Daceria*, ſed aere non expreſſit, initium capiamus, principio animaduertit, nullum illius aetatis actorem, niſi perſonato uultu, in thea-tro comparuiſſe. Quo factum eſſe, contendit, ut ſingulis comoediis ſingulae proponantur tabellae, quibus omnes actorum perſonae breuiter compre-hendantur. Has uero perſonas negat artificio cum noſtris, quae ſolum contegant uultum, exaequatas fuiſſe, ſed totius figuram capitis pergit referre, quae totum, et ſinciput, et occiput, galeae et criſtae inſtar, obducat, adeo, ut prior et anterior pars uultus ſpe-ciem reddat, poſtica uero et auerſa capillis, tanquam galeri, obducta eſſent, cum nulla ueterum perſona capillis caruiſſet. Quae quidem illuſtris feminae ob-ſeruatio, figuris, quas littera A. notabimus, idque e tabellis, omnibus ſex Terentii comoediis praefixis, cum, ut pradiximus, eruditiſſima *Daceria*, unam tan-

tum Andriae tabellam e codicibus Gallicis excudendam curauit, multo planiori atque illuſtriori indicio e codice Romano firmatur, eademque illuſtratur opera, id quod in Phoedri fabula eſt:

Perſonam tragicam forte uultus uiderat,
O quanta ſpecies! inquit, cerebrum non habet.

§. XVI.

pariter ac in tragoediis.

Quo quidem loco committendum non eſt, ut praecipiti feſtinatione, praetermittamus, quod ANTONIVS CODRVS VRCEVS *in epiſtola*, ſupra commemorata de perſonis tragicis ſcite, nec uulgari notione notauit. Is uero locus, tam inſignis ad memoriam et praeſtans, cum omnium omnino manibus teri non queat, uitio uerterit nemo, ſi quidem eum, quibus ab VRCEO eſt conceptus, amplioribus uerbis, hic referamus. *Extat Ariſtotelis Problema*, inquit, *in eo capite, quod inſcribitur: de iis, quae ſunt circa oculos, circa nares et circa auditum huiuſmodi:* ὥσπερ τὰ τραγικὰ πρόσωπα, *in quorum tranſlatione Theodorus Gaza, qui habitus eſt, noſtra tempeſtate, et graece, et latine peritiſſimus, dicit, ut tragicis laruis hominibuſque acerbis ſeueriſque.* Quam interpretationem reſpuit VRCEVS. Neſcire enim ſe dicit, quomodo perſonae tragicorum, hoc eſt, tragoedias recitantium, uertant oculos ad nares, cum foramina quidem oculorum, oculos uero non habeant, niſi ita illa foramina ficta eſſent et formata, ut qui perſonas illas induerent, oculos ad nares uertere uiderentur. *Illud autem me non praeterit*, inquit, *perſonas tragoedorum fuiſſe terribiles, et ex affectibus eorum, quos repraeſentant, formatas, ut uidetur in II. Libro* QVINTILIANVS *aſſerere.* Statuit

tuit ergo, *Aristotelem* per τραγικὰ πρόσωπα intellexisse facies hircinas, hoc est, hircorum, qui oculos habent ad nares conuersos. *Quod ergo*, inquit, *uidere uolui, et ita esse, ut Aristoteles duxit, mihi uidere uisus sum, quod etiam Virgilius in Bucolico carmine affirmauit; transuersa tuentibus hircis.* Qua in re eadem secum sentire uisa est uetus *translatio, et Aponensis commentatoris expositio*, ut ipse fatetur, nec minus sibi persuadet, ad minimum *Virgilianum* sensum ignotum Seruio, ignotum aliis multis commentatoribus suae tempestatis uiris *eruditis, expressisse.* Nos, ut ex animi sententia dicamus, uere contendere posse uidemur, nil impedire, quo minus ipsum fortasse *Aristotelem* uerbis his tragicas personas intelligi uoluisse pronunciemus, propterea, quod negari non potest, has tales laruas, pariter ac hircinos uultus, oculorum altero sublato, altero suppresso, pro re nata, et cum usus ueniret, fictas fuisse, idemque *Terentianae* illae figurae saepius laudatae liquido testantur, ac ne VRCEVS quidem ipse iis, quae expromsimus, uerbis, prorsus inficiari potest. Idem fere de ore affirmat LVCIANVS, cui tragoedus est homo, altis calceis seu cothurnis incedens, larua super caput uel frontem extante, ore hiante, non secus, ac si spectatores deuorare uellet. Vbi perperam redditur: *caput larua minaci obductum habens*, cum ἀνατείνειν sit sursum extendere, erigere. Itaque ad laruam hanc scenicam accessit ornatus, qui altius eminuit. Videtur IVLIVS POLLVX uocasse ὄγκον, quem dixit esse eam, quae supra personam est, altam prominentiam, literae λ. figuram referentem. ὄγκος

δέ ἐστι, τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος λαμβδοειδὲς τῷ σχήματι, *lib. IV. cap. XIX.* Cl. Salmasivs, ſcripta ad Colvivm epiſtola, arbitratur, ὄγκον fuiſſe aliquid in ſummo perſonae tragicae, tam mulierum, quam uirorum in altitudinem elatum, non autem e crinibus factum, ſed ex eadem materia, e qua perſona confecta erat, eique faſtigio plerumque crines adhaeſiſſe. Sed hoc aliquid fuiſſe exiſtimat Gisbertvs Cvpervs, quod figura literae λ. ſuper perſonam extabat, quodque eadem figura in marmore Apotheoſios Homericae tragoedia capite ſuſtinet, et ipſe uir eruditiſſimus cum perſona tragica excuſa imagine exhibet, *pag. 82.* Huc tranſfert illud Varronis apud *Nonium: item Tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege, ad frontem ſuperficies accedebat.* Vbi ſuperficies ornatum hunc deſignare uidetur, cum falſo Popma explicet de faece, qua ora, ut diximus, perungebantur. Atque hunc quidem ὄγκον ſerui in tragoediis, exceptis nunciis, non habebant, ſed περίκρανον, hoc eſt, pileum ἀκώνον uel teretem: eum tamen gerebant, quanquam non perinde elatum uel extractum, feminae, quod e Pollvce, ab interprete minus intellecto, idem, quem laudaui, Cvpervs docet *pag. 83.* Nihilominus lites has adeo non perſequemur, ut eius cauſſam auctoritate noſtra diſceptare uelle uideamur, praeſertim cum huic inuento, utcunque rem circumſpicias occaſionem cauſſamque dediſſe uideantur. Saltem quo lumen afferamus loco *Demoſtheneo*, oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας, quem his uerbis enarrat *Scholiaſtes eius* Vlpianvs: *homines perſonas geſtantes, infra*

eas

eas pileolos habuisse, ne laederet et attereretur caput, quae ipse, neque id inficiamur, MARESCOTTVS cap. V. promit: huic, inquam, loco, ut breui quadam explicatione consulamus, illud tantummodo monitum uolumus, siquis miretur, qui tandem factum sit, ut sub persona pileolus gestari solitus sit; is uero, quarum icones dabimus, laruas contempletur, ex iisque iudicet, earumne magnitudo atque amplitudo sit tanta, ut cum opus foret, Hispanus, qualem aetas nostra uidet, galerus, cui similes, aut minores etiam pileos ueterum Graecorum Romanorumque usus fortasse tulit, ei subiici posset. Ne uero eruditissimae Daceriae, cuius animaduersionibus praesidium polliciti sumus, studium nimis differatur, unde digressi sumus, reuertimur, et quod altera docet obseruatione, ex ea commemoramus, pallia, quibus illius memoriae serui sint usi, hodiernorum comicorum Italorum palliis non longiora quidem, ampliora tamen fuisse. Ea uero addit, actoribus ea fasciarum usum ordinarie praestitisse, quas plerumque collo obuoluerent, nunc ex altero suspenderent humero, interdum etiam cinguli loco iis uterentur. Cuncta, quae in medium attulimus, clarius patebunt, ubi icones, bona fide expressas, omnium quidem oculis propediem subiiciemus.

CAP. III.

IDQVE

MORALE.

§. I.

Laruae sibi relictae non repugnant.

DE personis et laruis, pariter ac de carnis priuio, quantum satis est, disputauimus, quo harum rerum partim origo, partim uis, usuque, critico, historicoque more, diligentius intelligantur. Nec uero nescimus, plura nos eandem in sententiam differere potuisse, siquidem instituti ratio postulasset. Cum autem nondum constare queat, quo tandem iure consuetudines hae usu receptae sint, quidue praesidii ad sui defensionem afferre possint, et utram in partem bene maleue de iis existimandum sit: sequitur, ut seposita hominum auctoritate, et soluti praeiudicatis opinionibus, quibus alioquin animus imbui facile et occupari solet, rem in medio ponamus, eiusque momenta expendamus, et quale aequitatis moralis iudicium sit expectandum, experiamur. Sicuti enim iuris ciuilis ratio fundamentum, quod in communi naturae iure iactum collocatumque est, praestruit, in eodemque adeo innititur, ut nihil, quod ab eo remotum ponitur, aut ei aduersatur, amplecti uelit: ita tanto peritius scientiusue de argumenti huius conditione, ingenioue, ex iuris, quod humana constitutum est auctoritate, sentiemus, quanto illud solertius praeclariusque aequitatis, quam sancit natura, iudi-

cio

cio fuerit aeſtimatum. Equidem cum rituum horum memoriam adhibeo, eoſdemque citra corruptelas et uitia, quae malo ſui fine immoderatoue uſu admiſceri queunt, ſibi relictos, et per ſe conſideratos, circumſpicio, et acrius contemplor: nihil in iis ineſſe intelligo, quod uel diuino, humanoque, codici, uel ſaniorum beneque moratarum iudiciis gentium, citra laxiorem deterioremque uocabulorum intelligentiam, repugnare uideatur.

§. II.

Principio non dubito, fore multos, quibus ſententia haec minus probetur, propterea, quod ipſius legis diuinae auctoritas aliud praecipiat, noſque facile et impugnet, et refellat. Sancit enim, et ait: *Non induetur mulier ueſte, ſeu apparatu uiri, nec uir utetur ueſte ſeu ſtola mulieris. Execrabilis enim eſt apud Deum, qui facit haec, Deuter. XXII. 5.* Quo quidem loco GVILIELMVS PRYNN *in Hiſtriomaſt.* paſſim nihil aliud indicari contendit, quam uetitum eſſe, quo minus unus alterius ſexus habitum induat, atque adeo ſexum ſimulare alienum minus licere. In eandem ſententiam iſſe, et docuiſſe ueterum doctorum, quos, uenerationis cauſſa, Patres dicimus, pleroſque, Synodos antiquiores, recentiores, hodiernoſque interpretes et explanatores, alioſque celebrioris nominis ſcriptores, ſubiectis ſub aſpectum exemplis, et locis in medium prolatis, copioſe oſtendit. Paulo aliter, quem meminimus locum, capit atque expromit IOSEPHVS, uir non leuis cetera iudicii, eamque legem potius in bellicae militariſque diſciplinae prae-

iuri diuino,

praeceptis commemorat, cum tradit: *φυλάσσεται δὲ μάλιστα ἐν ταῖς μάχαις, ὥστε μήτε γυναῖκα ἀνδρικῇ σκευῇ χρῆσθαι, μήτε ἄνδρα στολῇ γυναικείῳ.* Latine reddas: *Cauete uero, maxime in bello, ut neque mulier apparatu uirili utatur, neque uir ſtola muliebri. Antiquit. Iudaic. lib. IV. cap. VIII.* Tantum uero abeſt, ut dicamus, memoratam legem ceremoniae, uel fori cauſſa, tantum latam, ob eamque rem pariter cum republica et politia Iudaeorum antiquatam forſan et abrogatam eſſe, ut eam etiam legis moralis uim ponduſque habere, fateamur, cuius ratio latiſſime pateat, nec diminuta auctoritate, noſtra uigeat memoria, et nos, perinde ac Iudaeam olim gentem, parendi neceſſitate obſequioque ſibi coniungat. Neque eo ſecius, ſi, id quod res eſt, fateri uelimus, expenſo legis neruo, nullo iudicandi labore aſſequimur, quod ſuapte ſponte in cuiuſuis intelligentiam cadere poteſt, utramque legis explanationem mentem eius minus expreſſiſſe, nec fundum exhauſiſſe, quando conſtat potius, uiro et feminae non tam ueſtium commutationem et ſexus diſſimulationem, quam ueſtium commiſtionem, et affectatam proteruamque ſexuum confuſionem ac perturbationem, lege propoſita prohiberi. Atque eius quidem legis ui ſigillatim cauetur, ne arma, quemadmodum ſecundum pleroſque et fons Ebraeus, et interpretatio ſeptuaginta uiralis habet, uiri mulier ſumat, neue uir ueſtem quandam exteriorem, quae inferiorem diſtinguat ſexum, induat et gerat.

§. III.

§. III.

Eadem uero interpretatio ulterius nos adducit, ut credamus, Deum lege hac praecipue id egiſſe, ut aliquid idololatrarum, et Zabiorum forſan religione conſecratum, uetaret. Idem, quod diximus, eruditus et ſapiens Ebraeorum magiſter, MAIMONIDES, in primis comprobat, cum legem in eam interpretatur ſententiam, ut pertendat, cultum cum praua ſuperſtitione coniunctum, et commentitii cuiuſdam numinis, maris iuxta ac feminae, ſacra potius, quam ipſam ueſtium commutationem, ſeu ſexus diſſimulationem, hoc loco prohiberi. Verba, prout in Latinum uerſa ſunt, habent: *Iſtud autem eſt, propter quod dicit ſcriptura; non accipiat mulier arma uiri, neque uir induat ueſte muliebri. Inuenies enim in libro quodam artis magicae praecipi, ut uir induat ueſtem muliebrem pictam, quando ſtat coram ſtella Veneris, ſimiliter ut mulier induat loricam et arma bellica, cum ſteterit coram ſtella Martis.* MORE NEVOC. *P. III. c. 37.* Cui quidem opinioni, ut alios praetermittam, aperte ſuffragium fert IOANNES SPENCERVS, libro erudito *de LL. Ebraeorum Ritualibus, lib. II. cap. XVII. pag. 407.* cum non ſolum legis, antea commemoratae, mentem, cauſſas atque originem ſagacius inueſtigat, ſed aliorum etiam ſententias, PHILIPPI CAMERARII, P. CVNAEI, PHILONIS, et complurium, ad uerum exigit, et ſuam tandem, tanquam ceteris quodammodo praeſtantiorem potioremque, prolato MAIMONIDIS iudicio, et GVILIELMI *Parſienſis* auctoritate, ueteri etiam profanarum gentiumtheo-

cuius lex ob Zabios lata,

logia ex Macrobio, Gyraldo, Seldeno, Schedio, Scheringamo, Moro, et aliis, et hiſtoriae antiquae argumentis, ex Servio, Ivlio Firmico, Philochoro apud Macrobivm, Polyaeno, Tacito, Plvtarcho, et aliis, erudite repetitis, corroborat, ac firmat. Longum ſit, referre ſingula, et ſuperuacaneum commemorare dogmata, quae exinde emergebant, teterrima longeque peſſima, quibus ut obex poneretur, ritum hunc uetuiſſe Deus dicitur, tum ea denique, quae e Siracide, Philostrato, *Concilio* Trvllano, atque Asterio Spencervs exponit. Vnum illud colligimus et ſubmonemus, eadem laudati ſcriptoris opinione Iosephi ſententiam, ſuperius in medium allatam, non parum iuuari, quando legem ad rei bellicae diſciplinam reuocauit, eamque inter militaris ordinis inſtituta praeceptaque numerauit. Neque enim temere dubitandum eſt, quin mentem hanc dederint atque iniecerint ipſius uerba legis, quae ad ueram Ebraei et archetypi contextus intelligentiam et ſententiam, a Spencero diligentius exquiſitam, expenſa, de uaſis, ueſtimentis et armis ſimul uirilibus, capi uolunt. De cetero, qui non diſſimilia de re propoſita cognoſcere uolet, in aliis, qui ſuppetunt, Lyranvm, *comment. d. l.* euoluat, eiuſdemque, quae nobis probata eſt, opinionis ſerium et acrem defenſorem obſeruet. Praeſtructo hoc fundamento, iam conficiamus licet, cum Deus legem memoratam ſapientiſſime tulerit et ſancierit, propterea, quod haec talis ueſtium permutatio profani peruerſique cultus manifeſtum et multo apertiſſimum illis temporibus indi-

indicium faciebat, impiis gentium superstitiosarum ritibus Deastralibus oriebatur, ad masculam praeterea et prodigiosam Venerem, data peccati occultandi occasione, et obiecta religionis specie, libidinosis et intemperantibus hominibus aditum uiamque aperiebat, aliorumque malorum incommoda afferebat: salua iustae ratiocinationis lege, concludendum existimandumue non esse, omnem omnino personam, quae uestem, a sexus sui more discrepantem, idque non superstitionis culpa, sed aliis, quas postea patefaciemus, de caussis gerat, id circo diris deuoueri, et execrabilem statim ac detestabilem pronunciari.

§. IV.

Quae cum ita sint, nil impedit, quo minus quosdam Iuris Pontificii seu Canonici pariter ac ciuilis contextus, qui rebus a nobis hactenus disputatis, aduersari uideantur, arripiamus, et sententiae nostrae conciliemus. Horum primus, a GRATIANO *c.6. Dist.XXX.* compilatus est, ex *concilio Gangrensi, c. XXX.* contra Eustathianos potissimum ea tempestate habito, cuius formula haec sanciuntur: *Si qua mulier, suo proposito utile iudicans, ut uirili ueste utatur, propter hoc uirilem habitum imitetur, anathema sit.* Alter uero ab VLPIANO *l. 23. §. 2. π. d. aur. et arg. leg.* sic effertur, ut muliebribus uestimentis non facile sine uituperatione uti quem posse, asseueret. Quorsum, operae pretium est, inspicere et conferre, quae DIONYSIVS GOTHOFREDVS *n.56. seqq.* quo solet commentandi genere, erudite animaduertit. Veruntamen, ut taceamus, id quod ad

nec iuri Canonico,

 supe-

ſuperius expromtum e Deuteronomio locum non parum attinet, ſolam inter mulieres et uiros ueſtium mutationem prohibitam, non ſtatim contra alias transſformationes, quae a temporis, modi, locique ratione, innocentiae et defenſionis ſuae praeſidium repetant, ſolidi quidpiam inferre: hoc quidem loco, quemadmodum e contextuum collatione, uel ſubita et ſuperficiaria ſponte intelligi poteſt, animaduertendum eſt, omnia, quae hic, in eamque ſententiam alibi, ſanciuntur, de abuſibus tantum laruarum, quos paulo poſt cum uberiore et plena aliorum contextuum, tam iuris canonici, quam ciuilis, eorundemque obſtantium reſolutione attingemus, capienda eſſe, cum, ſicuti *Gloſſa ad d. c. 16. Diſt. XXX.* notat, et loquitur, *mulier uirum habitu mentita magis habilis ſit, et magis parata in ſciſſa ueſte, quam in clauſa ad meretricandum.* quam tamen ſubtilem nimis obſeruationem auctoribus ſuis merito relinquimus defendendam. Vir uero, ut pergit, aut iuuenis, in muliebrem modum ornatus facile ad ſodomiam aditum aliis praebere poſſit. Id quod uel exinde compertum habemus, quod apud ueteres paſſim legimus, pocillatores, qui uinum miſcent, et pincernae etiam dicuntur, eximia forma, quaſi Ganymedes aliquos, libidinoſis iiſque diuitibus, quondam in uſu fuiſſe, eoſque ad ſecretiora miniſteria, nec minus alios, pari mollitie infames, naturam ſimul et ueſtem, habitumque corporis, cum mulieribus commutare, data libidinis exercendae occaſione, per ſummum dedecus et nefas debuiſſe. Etſi uero optandum erat, nefaria haec flagitia, nec nomine, nec re, terrarum

orbi

orbi cognita esse: tamen in annalium monumentis positum est ante oculos Cumanorum exemplum, quorum pueros, muliebri more comtos, incedere, Aristodemus tyrannus coegit. Omittimus exempla plura, quorum memoriam uel idcirco non refricamus, quod eam perhorrescit ac refugit animus, satius est eam obliterari penitus, et perpetua obliuione deleri, quam commemoratione copiosa renouari. Hoc tantum notamus, non defuisse Glossae artificibus caussam, quamobrem uirilem sexum, feminino uestitum ornatu, foedis et horrendis sceleribus occasionem dare posse, arbitrarentur.

§. V.

Personae in sacro codice,

Ne uero quid, quod instituto huic nostro inseruire uideatur, missum faciamus, uel negligentius praetermittamus, omnes, quoad quaerendo inuestigari potuerunt, laruas ac personas, e sacris literis tandem conquirimus, et adiecto ueluti cumulo, in neutram tamen partem aestimatas, nec reprehensas, neque approbatas, hic coaceruamus. Quod dum facere ingredimur, damus mature operam, ut in reliquum omni labore haec talia nominandi exempla, citra uel inscitiae, uel negligentiae crimen, supersedere queamus. Inter huius generis personatos seu laruatos uulgo numeratur IACOBVS, qui pellibus hoedorum induit manus, et leuitatem colli dissimulauit, quo fratri benedictionem praeriperet, *Genes. XXVII. 15. 16.* Eodem referuntur GABLONITAE laruati, qui obsoletas induti uestes ad Iosuam profecti, pacem petierunt,

tierunt, *Iof. IX. 5.* TAMAR etiam in hanc perſonatorum ſcenam producunt, quae uelata facie, et ſimulatis ueſtibus, et ſe, et ſocrum, Iudam, proſtituit, *Geneſ. XXXVIII. 14.* Nec uero minus MICHOL, Dauidis coniux, in exemplum proponitur, quae ſimulacrum lecto impoſuit, et pelles caprarum ad caput ſimulacri, *1. Sam. XIX. 13.* Nec deſunt, qui *Ieſabelem* fucatam huc trahi uelint, *2. Reg. IX. 30.* quo tandem iure, uiderint alii. In eodem theatro DAVID ſiſtitur, maniam et furorem ſimulans, apud Regem Gethaeorum, *1. Sam. XXI. 13.* Producitur etiam in medium *uates*, qui os et oculos coram Achabo rege, aſperſo puluere mutauit, *1. Reg. XX. 38.* Ipſi etiam *Achabo* affingitur. Atque haec quidem exempla ita recogitat, quem ſupra nominauimus, HERENSCHMIDIVS, *de Bacchanalib.* ut, quo uſi ſunt hi homines, laruandi modum non laudet magis, quam Patrum dictis teſtimoniiſque tueatur, *p. 32. 34. 35.* Sed ad laruarum Diabolicarum numerum adſcribi poſſunt iſta mali daemonis, ſerpentis inſtar, qua pariter cum *Adamo* cunctis nobis, quod omnis doleat poſteritas, miſerandum in modum impoſuit atque illuſit, *Geneſ. III. 1. ſeqq.* Perinde ac cum toties in Angelum lucis conuerſus eſt. *2. Cor. XI. 14.* Eodem in primis conuenit Larua commentitii SAMVELIS, quae Saulum ludibrio laeſit, *1. Samuel. XXVIII. 14. ſeq.* At niſi perliberali, ſibique indulgenti nimis PACICHELLII ingenio ueniam laxamenti huius dederis, uitii arguere poſſis, qui perperam a PACICHELLIO *p. 19.* tanquam perſonati et maſcerati commemorantur, uerbi cauſſa, IACOBVS ſeruili forma,

cum

cum tamen liber eſſet, Labano ultra ſeptennium ſeruiens, *facies Moſaica* praelucens, Diuus etiam STEPHANVS angelum repraeſentans, et plures, quos non niſi in cerebro uiri illius eruditi perſonas ſuſcepiſſe, perſuadearis facile, et ueriſſime contendas. Nec uero non riſu, et neſcio quibus tandem cachinnis, excipiendum duxeris, quod idem ſubiungit, non defore in coeleſti patria huiuſmodi metamorphoſes ad intenſius, uel remiſſius, gaudium iuxta merita uiatorum. Tunc non profore, hic luſiſſe, ueluti C. Caligulam, qui ueſtes aſſumebat Ioui, Iunoni, Veneri ac Dianae accommodatas. Tranſmitto reliqua, quorum me taedet, et quemlibet, ab omni iudico inopem plane, poenitere poſſit. Sed dixerit quiſpiam, qui rem attentius paulo conſiderat, quos cumulauerimus locos, non niſi de promiſcua ueſtium inter uiros et feminas commutatione, nullo uero modo de generali quadam perſonarum laruarumque prohibitione accipiendos fore. Verum eſt, quod dicitur: nihil abnuimus: damus ultro, et largimur lubentes. Exinde pronunciamus, nihil cogi efficique poſſe, quod omne perſonae adhibendae ius diuini auctorite iuris tollat atque extinguat. Ne igitur ueritatis, quam indagamus, cauſſae deeſſe uideamur, poſtquam loci ſuperius allati, iuri perſonarum nihil incommodi attulerunt, ponduſque et nocendi uim amiſerunt, alios iam circumſpiciamus, iiſque ſufficiamus, qui propius ad inſtitutum accedere uideantur. Quibuſcum tamen id, quod praedictum uelimus, ita agetur, ut haud ſecus, ac priores, limitibus finibuſque ſuis circumſcribantur.

§. VI.

§. VI.

nec Patres nisi in abusum personarum inuehuntur.

Principio in mentem uenit TERTVLLIANI, qui personis adeo irascitur, ut earum usu Deum offendi posse, asseueret. *Libro* enim *sexto de spectaculis: Iam uero*, inquit, *ipsum opus personarum, quaero, an Deo placeat, qui omnem similitudinem uetat fieri, quanto magis imaginis suae.* Nec uero minus alii ueterum, qui coetui Christiano praefuerunt, antistitum doctorumque in personarum et laruarum licentiam inuehuntur, in primis LACTANTIVS, CYPRIANVS, CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS. Hi uero negant Deo ueritatis auctori uanum hoc et mendax simulandi genus placere posse, cuius primum exemplum malus Daemon et infensus humani generis hostis prodidit, cum, in Paradiso et deliciarum horto serpentis forma tectus, latitaret, hominumque saluti insidiaretur. Immo uero meminimus, esse interpretes *Paulinae*, quae ad *Ephesios* exarata est, epistolae, qui *cap. V. com. 4.* uerbo αἰσχρότητος seu turpitudinis, laruas sigillatim notari et uetari, putent. Patrum uestigiis insistit, et indignatione commotus detestatur personas, D. HVNNIVS, cum contendit, *non solum Christianam religionem, sed etiam humanam naturam redarguere eos, qui Ethnico illo Bacchanaliorum festo, horrendis diabolorum laruis assumtis, non aliter, ac si furiosi essent, circumcursitent, Epist. ad Roman. cap. XII.* Nec melius de laruis senserunt D. GERHARDVS in *homil. Euangel. p. 1. p. 977.* D. MEISNERVS in *Meditation. ad Euang. p. 233.* D. CHRISTIAN. MATTHIAS in *Ethic. p. 202.* IACOB HERENSCHMIDIVS *de Bacchanalibus*, et tot alii, quorum

rum nec numerum inire, nec iudicia, copiosius exposita, proferre, uacat. Sat fuerit, eos homines personatos tantopere coarguisse, ut eos Diabolis, quam hominibus, similiores habuerint, et personas laruasque adeo perstrinxisse, ut his demum nequitiae scelerumque integumentis grauissima occultari flagitia et peccata, existimarint. Veruntamen intelligendum est, quae de personis laruisque tam TERTVLLIANVS, quam ceteri Christiani populi doctores ueteres, dixerint ac scripserint, non alio referenda esse, quam ad Bacchicum libidinosumque earum usum, quo homines bonos mores uiolabant, et foedas turpesque libidines sequebanrur, et his ueluti improbitatis uelis nefarie scelerateque facta recondebant, iis praesertim temporibus, quibus profanae religionis ritus longe lateque disseminatus erat, et Bacchanaliorum aliorumque lasciuiae generum corruptelae late patebant, peccandique exemplo bonos etiam facile corrumpebant. Quod si demus et largiamur, qui Paulinae Epistolae locum in eam accipiunt sententiam, turpitudinis uocabulo laruas sigillatim designari, cum tamen caussa sit, quamobrem hoc uerbo omnem omnino turpitudinem, quae cum morum honestate pugnet, generatim intelligamus, nec desint, qui pari auctoritate, parique iure, contextum hunc ita interpretantur: pari tamen modo constat, non nisi lasciuum obscoenumque laruarum usum uetari, propterea, quod superius exposita testantur exempla, pios etiam homines, Deoque gratos, sine uiolatae religionis nota, innocentem uelandi ritum adhibuisse. Nec uero secus

pronunciauerit de concionibus et monitis illorum, quos commemorauimus, Theologorum, qui cum perſonarum ritu Bacchanaliorum licentiam furoremque exprimi, et honeſtati uim fieri, dicant, non aliud, quam rerum, quae ex abuſu laruarum conſequantur, turpitudinem foeditatemque deſignant atque inſectantur. At enim nos, qui haec peruerſi uſus uitia adeo non comprobamus, ut reprehendamus potius, ac grauiſſime caſtigemus, non quaerimus, quid tandem e rei deprauatae corruptelis exiſtere ac conſequi poſſit, ſed an eius ratio, ex ſe ſpectata, ita ſit comparata, ut in uitio ponatur, atque in reprehenſionem alicuius improbitatis incurrere uideatur. Id quod ex iis, quae ſententiae noſtrae obeſſe uidebantur elici cogique poſſe, negamus.

§. VII.

nec iure gentium perſonae probibentur

Quo uero minus in diuinarum auctoritate literarum, et in iuris, quod legum ſuarum fundamenta diuinae uoluntatis regula metiri ſolet, in eorumque, qui diuinae mentis ſenſa ore, ſcriptiſque, diligentius interpretantur, reperio, quod omnem omnino perſonarum uſum uitii arguat, et de medio tolli uelit: hoc magis expecto, ſperoque, praeſidium, quod e iudiciis cultiorum gentium ad tuendam ritus huius cauſſam afferatur. Atque haec quidem iudicia cum animo et cogitatione complector, et omnibus omnino ueſtigiis, quoad eius fieri poteſt, indagare inſtituo, duos in primis fontes aperiri intelligo, a quibus omnis illorum ratio cognitioque profluat atque dimanet.

Etenim

Etenim ſapientum uirorum ſcriptorumque teſtimonia, et integrarum quarundam nationum conſuetudines, ſuppetunt, ſeſeque ingerunt oculis, e quibus perſonatorum cauſſa aeſtimari cognoſcique poſſit. Sed de ſapientum et praeſtantium uirorum auctoritate, horum quidem ſuffragium dubiam et ancipitem praeſidii ſpem oſtendit, quando Romanus ille ſapiens, idemque grauis et cordatus morum magiſter, SENECA, quaerit: *Non uidentur tibi contra naturam uiuere, qui commutant cum feminis ueſtem? Epiſtolarum*, quae exaratae ſunt ad LVCILIVM *CXXIII.* In quem locum quando incidunt IVSTVS LIPSIVS, *ad III. Annal.* TACITI, et PETRVS FABER, *Semeſtr. I. cap. XV.* horum alter de ſericis et Cois interpretatur, pellucidis nimirum ueſtibus, et ſubtili arte textis, quas licet ob tenuem materiam et uerſicolorem texturam feminis magis accommodatas, uiri tamen caloris et aeſtus deuitandi cauſſa, paſſim gerant. Quaſi eadem mens SENECAE fuiſſet, quae IVVENALIS *Sat. II.* cum uerſibus quibuſdam ob idem ueſtimenti genus Creticum quendam inſectatur et ſugillat. Alter uero, quae a *Seneca* dicuntur, de mollitie luxuque illorum hominum intelligi uult, qui in coenis appoſita ueſte utebantur, muliebribus perſimili: qualis illa forſan erat, muliebris coenatoria, qua ſenatorem quendam uti ſolitum, ait Q. TITIVS apud POMPONIVM, *l. 33. π. de aur. et arg. leg.* Q. inquam, TITIVS, ut uulgo, et mendoſe, exſcribitur, cum haud dubie emendatius legendum ſit: Q. MVCIVS, quamadmodum ipſa legis inſcriptio perſpicue docet: POMPONIVS *lib. IV. ad* Q. MVCIVM. Idem

liquido euincunt haec legis proximae uerba, quae pari modo ſumta eſt ex libris POMPONII ad Q. MVCIVM: *ſcribit* Q. MVCIVS etc. et poſtea: *idem ſcribit* Q. MVCIVS. Scite, quod diximus, obſeruat, eruditae Galliae decus, AEGIDIVS MENAGIVS, *Amoenit. Iur. Ciuil. c. XXXI. p. m. 115.* Aut illius fortaſſe generis erat ueſtis, quam indutus legitur *Cornelius Fronto* apud XIPHILINVM in *Adriano*, ut alios reticeamus. Quarum quidem opinionum utraque munimentum, non leue ſane, quaerit, in quo inſiſtat. Nam poſterior, pro qua propugnat FABER, fundamentum iacit in uerbis *Xiphilini* Graecis, quae τὴν ςολὴν δειπνῖτιδα expromunt. Haec uero non generatim per ueſtem coenatoriam, ſed ſpeciatim et ſignate per muliebrem coenatoriam, uertenda et reddenda eſſe, non obſcure conſtat. Etſi enim rariori loquendi uſu ſtolam de uirili etiam ſexu dici, non ignoramus, quando ſcimus, TATIANVM *in Orat.* πρὸς ἕλληνας, Caligulae uel Heliogabali ſolitam ueſtem muliebrem ςολὴν ἀπάνθρωπον merito uocaſſe, et NONIVM *cap. XIV.* notaſſe, ſtolam ueteribus non honeſtam ueſtem ſolum fuiſſe, ſed etiam omnem, quae corpus tegeret, qua uſi fuerint interdum et maſculi, ut habet Ennius Telepho apud NONIVM loco commemorato: tamen cum non de rariori, ſed de communiori uſitataque loquendi forma laboremus, ex huius ſententia ſtolam non aliter, quam proprium feminarum indumentum interpretamur. Quorſum e re fuerit, euolui Iuris Conſultorum principem, IACOB. CVIACIVM, et comparari, quae ampliſſimae uir doctrinae diſſerit, *ad III. Paul. VI. §. 8.* Prior uero ſententia,

tentia, quam ſecutus eſt IVSTVS LIPSIVS, nonnihil roboris et firmamenti ab iis capit, quae de *Ferentinis Lib. XII. ex Clearcho* tradit ATHENAEVS, apud ipſum legenda, cum huc referre ſingula non uacet. Vt cunque tamen ob harum inuenta interpretationum ſeſe circumſpiciant, et de ingenii doctrinaeque palma, in medio poſita, pugnent, contendantque, inter ſeſe exquiſitioris doctrinae duumuiri: inficiari non poſſumus, MARESCOTTI ſententiam *p. 147.* ex alterius cuiuſdam SENECAE loci, *Epiſt. XLVIII.* comparatione, cum ipſius laudati contextus uerbis ſubſequentibus facta, elicitam deductamque ambabus illis opinionibus quaſi praeferendam uideri. Rem enim in controuerſia poſitam, ſic capit atque exponit: eos, qui abuſu intolerabili naturae ordinem peruertant, ſe potius omni uel grauiſſimo ſupplicio, quam hominum conſortione ac ſocietate, dignos reddere, legibus uniuerſis in tantum ſcelus concitatis atque inſurgentibus, iis praecipue, quas receptis introductiſque moribus ſiue ſcripto natura ipſa firmauit et conſtabiliuit: quarum idcirco exempla haec in primis ſibi aſſignanda duxerit PLATO, ne quis nudus in publicum prodiret, neue muliebri indumento uteretur. *Platoni* aſſentiuntur, et quod ab illo praeceptum eſt, pie inuiolateque ſeruari uolunt, non homines ſolum, ſapientiae doctrinis exculti illi quidem, uerum profanis initiati ſacris, tanquam CICERO *lib. I. de Off. et IV. Tuſcul.* PLVTARCHVS περὶ ϛοςχῆς, DIOGENES LAERTIVS *Lib. III. de Vit. Philoſoph. in Platone*, et tot alii, ſed omnes etiam Patres, e quorum coetu copioſoque numero ſolos in praeſens,

AVGVSTINVM, HIERONYMVM et SALVIANVM ſuffecerit nominaſſe. *Hipponenſis* enim Antiſtes *ſoliloqu. lib. II. cap. XVI. Quando infantes*, inquit, *habentur merito, qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcio, utrum falſas mulieres, an falſos uiros melius uocem.* Conf. huc, quae *Philo* docet *lib. de Fortitud. pag. 739.* Alter, idemque *Stridonenſis* doctor, *Epiſt. 22.* inuehitur quidem in Virgines, quae *uirili habitu, ueſte mutata, erubeſcunt eſſe, quod natae ſint, ac contra naturam, immo ultra naturam eſſe, pronunciat, non exercere, quod nata ſis.* Nihilominus inter Chriſtianos ſanctae mulieres interdum uiros habitu mentitae ſunt, et quod memoria dignum eſt, ab eo nomen uirile ceperunt. Memoratur Eugenia, quae *Eugenius* dicta eſt, Euphroſyna, quae Smaragdus, Pelagia, quae *Pelagius*, ut exponit *Anſelmus Solerius Sect. VII.* De Antonina, Theodora Alexandrina, Athanaſia, Suſanna, Marina, Anaſtaſia patricia, Anna Matrona, Apollinari, Glaphyra, Iachelina, Hildegunde, RADERVS *plura* dixit *in Virid. p. I. 4. et 20. Septembr.* Praetereo, quae leguntur de Anonyma apud SOPHRONIVM *in Prato cap. 170*, et de Papula apud GREGORIVM *Turonenſem de glor. Confeſſoribus, c. XVI.* tum apud magnum conditorem Annalium Eccleſiaſt. CAES. BARONIVM, *An. 316. et 527.* Hunc tamen agendi modum ſingulari afflatu Spiritus Sancti excuſant nonnulli, in iiſque SOLERIVS, quem laudaui. Hic uero, SALVIANVS nimirum, *lib. VII. de prouid.* coarguit eos, qui muliebrem uiri habitum ſumerent etc. et femineis illigamentis capita uelarent. Hi tales, qui mutata ueſte, mulierum ſumerent habitum, et mulieres mentirentur, reprehen-

henduntur etiam ab ASTERIO *homil. de Calend.* atque a MAXIMO, *homilia de iisdem Calendis.* Sed demus illud, et largiamur, uiros ſolo naturae inſtinctu a ueſtis femineae uſu, et uerſa uice, tanquam more infami, et ipſi naturae contrario, abhorrere penitus debere, cum non facile credi poſſit, uiros ullos bene moratos a decoro et ſexus ſui dignitate adeo longe diſcedere uelle, ut ueſte muliebri amicti, in publicum progrediantur. Hoc enim neſcio cuius tandem turpitudinis loco habitum, infamiaque notatum ſemper fuit, non a Romanis tantum et Graecis, qui ceteris ſapientiae laude gloriaque praeſtare credebantur, ſed a plerisque etiam gentibus, niſi quod IVLIVS POLLVX *ait Onomaſt. Lib. VII. cap. XIII.* εἰμὴ ἄρα οἱ βάρβαροι ταῖς θηλυπρεπέραις τῶν ἐσθήτων ἔχαιρον, forte barbari quidam ueſtibus muliebribus delectarentur. Apud alios etiam populos omnes ueſtimentum muliebre mollis et delicati hominis argumentum ſemper habitum fuit, et uix unquam, niſi poenae loco, et per ignominiam uſurpatum. Ex his tamen, quae diximus, cunctis nihil conficietur aliud, quam ueſtium confuſionem, hoc eſt, ſi ſexus utriuſque apparatum nullo diſcrimine adhiberi, non tantum in morem, ſed etiam in cultum abierit, id demum contra dictamen rectae rationis, ipſamque adeo naturam eſſe, nullo autem modo temporariam ueſtium commutationem, nonniſi in publicis quibuſdam ſolemnibus ſummi Magiſtratus indultu et conceſſione laetitiae, aut cuius tandem cunque alius honeſtae cauſſae ergo, factam inſtitutamque, eadem cenſura notari. Atque illud idem eſt, quod ad paulo ante commemora-

moratam Dei legem iam tum animaduertimus, cum eius uim momentumque expenderemus. His autem, quae disputauimus, hanc nacti occasionem, unum illud adiungere lubet, cum, quod praestruximus, satis clare iam euictum sit, haud facile cuiquam persuaderi posse, ac si Deus hac de re legem dixerit, quae naturae pariter, ac rectae rationi, repugnet, ut scilicet ii, quos sexu discreuit natura, uestitu etiam distinguantur, et corporis habitus cum oris aspectu conueniat; aut etiam quasi Ebraeorum mores tam perdito mollitiei et luxuriae, libidinisque genere corrupti nunquam fuerint, ut uestes muliebres tam crebro induerint, aut quasi alia iam tum lege caruerint, cuius auctoritate a more tam inhonesto et dedecoris pleno, auerterentur; nec potius publicos morum censores adfuisse, qui eos omnes sexus alterius habitum, quotiescunque id libidinis eosdem incesserit, sumentes, tanquam pudicitiae decorique uiolati reos, poena quadam grauiori coercuerint; utque adeo posthabitis tandem reliquis coniecturis omnibus, praecipue existimandum sit, Deum ob inuectam in rempublicam Ebraeorum idololatriam, quod ad haec talia, superstitionem, a paganis undique circumfusis, sine ulla dubitatione haustam, hanc legem potissimum tulisse, praesertim cum Pharisaeos γυναικικοῖς ἱματίοις, muliebribus palliolis usos fuisse, apud Epiphanivm, *Haeres. XVI.* legamus; fidem autem excedat, illos scrupulosae religionis homines uestes sexui sequiori proprias induere uoluisse, quando earum usum disertis conceptisque Dei uerbis aduersas credidissent, aut si de-

nique

nique Iudaei tam excordes et rationis expertes fuiſſent, ut nullum plane honeſti decorique ſenſum retinuerint, nulla prorſus cauſſa dari queat, quamobrem Deus non pari modo alia etiam, quae decoro modeſtiaeque rationem impugnarent, pleraque lege lata prohibenda putarit. Nihilo minus negari non poteſt, legem hanc, ſenſu laxiore ſumtam, flagitiis atque amoribus obſcoenis et turpibus opportunitatem peccandi haud exiguam abſtuliſſe, cum uiri et feminae, ſexum mentitae, luxuriam et libidinem licentius et occultius exercere queant.

§. VIII.

gentium conſuetudo gerendi perſonas,

Sed ut ad alterum, e quo ſaniorum iudicia populorum elucere diximus, locum proficiſcamur, conſuetudines ſane ſumendae gerendaeque perſonae inter gentes deerunt nullae, quibus id, quod nobis propoſitum eſt, ulterius fortiuſque firmare poſſimus. Quarum cum multae ante oculos obuerſentur, et ſponte ſeſe nobis offerant, paucas tamen ex omni ſeligemus numero, quas hoc loco attingamus. Nec uero progredi eo lubet, ut eorum rituum idololatricorum, quibus corrupta et peruerſa paganorum ſuperſtitio abundauit, licet homines a capite uſque ad calcem perſonatos ac referrent ac repraeſentarent, ullam ad inſtitutum noſtrum mentionem iniiciamus, quando eas ſolum conſuetudines ex illorum numero copiaque rituum eximere uacat, quae ab omni abuſu, uitioque ſegregatae, ob rationis paritatem nobiſcum quoquo modo conſentire uideantur. In quam ſen-

tentiam apud DEMOSTHENEM de falſa legatione, legimus, Athenienſibus morem inoleuiſſe, ut nonniſi ſub perſona publice comederent. Id quod exinde coniicimus, quando de Epicrate: *Et huius*, inquit, *exsecrandi Cerybionis, qui in ſolemnibus ſine perſona commiſſatur.* Homini his uerbis exprobrans ſummam impudentiam, quod eum non puderet aliorum conſuetudini aduerſari, et ſine perſona publico feſtoque conuiuio intereſſe. Nec praetereundum eſt hoc loco, quod de Chinenſibus ſcriptum inuenimus, quam gentem bonis moribus excultam, multarumque rerum admirabilium ante Europaeos inuentricem fuiſſe, conſentiunt fere uniuerſi, qui res Indicas memoriae prodiderunt; conſueſſe uidelicet eos, ut nullius generis lautitiarum deliciarumque deſiderium relinquatur, conuiuas, quos apparatu, opipare lauteque inſtructo, excipiant, per homines perſonatos iocis et facetiis oblectare. Pariter fere ac Romani Comoedos delectationis cauſſa in conuiuiis habebant, quemadmodum conſtat, praeter alios, e PLINIO *Lib. I. Epiſt. XV. et lib. IX. Epiſt. XXXVI.* Huc etiam attinet, quod de Cois habet PLVTARCHVS *Quaeſt. Graec. LVIII.* ſtatutum eorum moribus, ut in nuptiarum ſolemnibus uir muliebri ueſte utatur, quo ueluti ſymbolo demonſtratum fuiſſe crediderim, uel alternam operam uiri et uxoris in re familiari adminiſtranda neceſſarium, uel potius uirilem animum uxoriis patriiſque affectibus debilitari, quaſique effeminari plerumque ſolitum, quemadmodum LVCRETIO uiſum. Pari conſilio apud Spartanos Lycurgus nubentibus feminis uirilem

lem habitum capillorumque tonſuram deſignauit, ut quas ceteroquin maſculis exercitationibus aſſuefieri uolebat, tali myſterio commonefaceret, ad hoc potiſſimum uirile robur animumque neceſſarium ipſis futurum, ut onera uitae coniugalis magni fortique animo ſuſtinerent. Quod cum ad moralem quandam rationem ſpectare uideatur, illud muliebris impotentiae indicium fuit, quod idem PLVTARCHVS de mulierum uirtutibus memoriae prodidit, Argiuas mulieres, rei bene geſtae gloria elatas, legem ſanxiſſe, qua nuptae, ſubi cum marito concumbunt, barbam habere iubebantur. Ac, ſi VALERIO MAXIMO *Lib. II. cap. VI.* cui fauet PLVTARCHVS ἐν παραμυθ. πρὸς Ἀπολλώνιον, fidem habemus, Lycios comperimus, quotieſcunque in luctu eſſent, ueſtem muliebrem induere, quo deformitate cultus commoti, maturius ſtultum et indignum abiicere moerorem uellent. Quod prudenti conſilio cauit, qui legem hanc iis dedit, luctum indicans rem eſſe muliebrem, et a uirili dignitate ac grauitate longius remotam, ob eamque cauſſam, abiecta omni cunctatione excutiendam et deponendam. Pie magis, quam prudenter, factum, uideri poſſit, cum Tibarenos legimus ab uxorum partu uices earum ſubiiſſe, lectoque, haud ſecus ac puerperas, accubuiſſe. Quod quidam interpretantur, prolis ſuſceptae participes ſeſe teſtari uoluiſſe, pariter ac naturam auibus et quibuſdam animantium indidiſſe comperimus, ut incubent alternis. Quicquid erit, illi mitra et muliebri tecti peplo iacebant, ſeque puerperas ſimulabant.

§. IX.

etiam in aciebus

Equidem, cum longius ingenii aciem intendo, recordor etiam, quaedam perſonarum genera in ipſa re militari, atque in acie et proeliis, uel ad circumueniendos, uel ad perterrefaciendos hoſtes adhibita, inter ſagaciora ſtratagemata et callidas belli artes ſemper obtinuiſſe, uti hiſtoriarum monimenta, in primiſque, qui haec talia conquiſiuerunt, FRONTINVS et POLYAENVS teſtantur. E plurimis, quae oculis expoſita ſunt, unum in praeſens, idemque ex antiquitate Germanorum, memoria repetitum, e TACITO *de populo Germanor. cap. 43.* delibemus exemplum. *Arii, Germaniae populi*, inquit, *truces, inſitae feritati arte ac tempore lenocinantur nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad proelia noctes legunt, ipſaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente nouum ac uelut infernum aſpectum.* Quamobrem non penitus laude uacat, commentis his tot tantaſque nationes terribilem aſpectum in militaribus congreſſibus affectaſſe. Nam quod ſubiungit idem grauiſſimus ſcriptor, primi in omnibus praeliis oculi uincuntur. Inde fuit, quod non ſine admiratione legimus: apud TACITVM *Annal. Lib. XIV. cap. 30.* mulieres Germanas, armatas facibus et furiali habitu in expeditionem caſtrenſem deſcendiſſe, ut ex habitu hoſtes perterrerent. Quo uero liquidius paulo conſtet, hoc ueluti ſtratagema non populorum tantum ſuperioribus ſeculis agreſtium et incultiorum, ſed etiam mitiorum prudentiorumque fuiſſe; aſpici hodieque intereſt

tereſt in celebrioribus potentiorum Dynaſtarum armamentariis non adeo uetuſtas caſſides, perſonarum inſtar, et ad humani uultus, ferarum item, ſimilitudinem effictas. Quales prorſus a Germanis adhibitas fuiſſe, auctor eſt PLVTARCHVS *in Mario*, quemadmodum et DIODORVS *Lib. VI.* tradit, Celtas in iis, uel naturalia cornua appoſuiſſe; uel auium et quadrupedum effigies expreſſiſſe. Nec diuerſum ualde diſparemue Parthorum ritum affert e Suida LIPSIVS, *Dialog. V. lib. III. de Militia Romana*, qui non ferarum imagines, ſed capita ipſa galeis accomodabant, earumque rictibus ad augendum horrorem utebantur. Idem Romanis ipſis adeo non incognitum fuit, ut familiare quoque foret, cum non ſolum ſigniferi omnes, quod e VEGETIO *cap. XVI. Lib. II.* diſcimus, galeas haberent ad terrorem hoſtium, urſinis, ſeu ut alii legunt, hirſutis pellibus tectas, ſed et milites uniuerſi, POLYBIO teſte, lupipellem, aut eiuſmodi quid, quod terrorem ſui aſpectu incutere poſſet, galeis impoſitum geſtarent. Silentio tranſimus exempla reliqua, quorum non pauca a Gelonis e POMPONIO MELA *Lib. II. cap. I.* et SOLINO *c. XXV.* ab Aethiopibus, *ex* ALEXANDRO *Genial. dierum I. cap. XV.* a Britannis e IVLIO CAESARE *Lib. V. Bell. Gall.* ab aliis tandem aliunde mutuari poſſemus. Et quoniam de rebus ſeriis, quibus perſonae antiquitus fuerint adhibitae, hactenus diximus, ſubiungamus id, quod habet C. CALCAGNINVS: *Accepimus, Imperatores quoſdam, umbella tectos, et diſſimulata perſona, conſueuiſſe popinas et tabernas pererrare: quin et hoſtium caſtra et peregrinas nationes, ut exciperent, quaenam de ipſis haberetur*

tur opinio, uel ut, quae ratio uiuendi apud hostes, explorarent, ut intelligas, hanc habitus mutationem non iocis, sed et rebus seriis inseruire. Hactenus CALCAGNINVS. Idem et comprobari facile poterat, et ex iis fere intelligi, quae a nobis exposita sunt.

§. X.

et in conuiuis laetitiae caussa.

Ne uero quis occurrat nobis, et obtendat forte, hactenus nos ea tantum cumulasse exempla, quae laruis, personisque, aut nihil, aut parum praesidii praestare queant: agedum, ea iam requiramus et proferamus amplius, quae ueritatem caussae nostrae, tutiori nonnihil ope, tueri uideantur. Hac mente, ne longius aberremus, reuocamus in memoriam, quod literarum monimentis consignatum est, solius plane laetitiae caussa hos tales, aliosque ritus complures, cultas et humanitate imbutas gentes saepe numero et suscepisse, et celebrasse. Apud Athenienses etenim, et Chinenses, modo diximus, personas in conuiuiis adhiberi, sicut illi sine personis conuiuia non celebrarint, hi conuiuas delectandi caussa introduxerint personatos. Pari modo Romanos, gentem grauitatis et dignitatis in primis diligentem, constat, personas conuiuiis intulisse, earumque usu uoluptatis et delectationis sensum auxisse. Testem cito, quem supra laudaui, TRANQVILLVM *Aug. cap. LXX.* quo auctore docemur, Augustum epulum amicis apparasse, et Deorum Dearumque habitu exornasse. Coena δωδεκάθεος, ut ostendimus supra, uocabatur, propterea, quod conuiuarum sex Deorum, sex Dearum habitu, discum-

diſcumbebant, cum ipſe Auguſtus pro Apolline ornatus eſſet. Haud ſecus *libro XII.* refert Athenaevs, Alexandrum M. cum liberalius ſibi indulgeret, et lautius ſolito conuiuia celebraret, modo purpureum Hammonis habitum et cornua ſumſiſſe, modo Dianae, uel Herculis, uel Mercurii perſonam ſuſcepiſſe. Scimus etiam ueteribus in more poſitum fuiſſe, ut perſonae quaedam argenteae, aliuſue generis, in medio abiicerentur conuiuio, eo confectae artificio, ut quamlibet exprimerent figuram. Res cum aliunde, tum e Petronii *Satyrico p.35.* in quo plus antiquitatis, ac multi rentur, reconditur, ſatis cognita eſt, ubi potantibus larua argentea affertur, ſic apta, ut articuli eius uertebraeque locatae in omnem partem flecterentur. Miſſa facio reliqua, quae Arbiter ſubiicit, ex iiſque colligo, quicquid huius fuerit, factum eſſe, ut homines, breuis commutabiliſque uitae admoniti, ad oblectationem hilaritatemque magis magis inuitarentur, et inſtabilis fugaciſque fortunae cauſſa permoti, de praeſentis gaudii fructu nihil deminui detrahique uellent. Plura de laruis, quibus ueteres publicas priuataſque inſtruebant et oblectabant epulas addere non uacat, praeſertim cum talis ſit locus, quem erudito uarioque de Conuiuiis Antiquorum opere Stvckivs perſequatur. Ad inſtitutum ſat fuerit fuiſſe tempus, cum perſonarum uſus uni laetitiae et delectationi inſeruirent.

§. XI.

Quod ſi hunc ritum ſapientis et docti uiri iudi- *iudicio C. Calcagniini probatae et uindicatae.*

cio

cio firmari uelimus, e cultiſſima Italorum gente audiamus Coelivm Calcagninvm, *qui Apologo*, perſonati nomine inſignito, laruarum cauſſam non prudenter minus, quam diſerte, agit. Locus amplioribus uerbis conſtat, recitabitur tamen, quando non in omnium manu uerſatur, dandaque eſt opera, ne quam mutatae ſententiae ſuſpicionem afferamus. Eſt autem ille. *Sed inquies, haec quam accuratis oculis obſeruentur, anne homo, grauitatis profeſſor, haec poterit inſana ſpectacula perferre? in quibus nemo eſt tam ſapiens, qui non deſipiat, nemo tam conſtans, qui non titubet. Sane res mira, homines alioqui ſapientiae tenaciſſimos atque obſeruantiſſimos adeo ſapientiam exuere, ut ſui prorſus obliti, diuerſam mox atque aduerſam ſuis moribus perſonam arripere minus erubeſcant. Aſt caue ſis, caue, obſecro, ne tu has interpreteris inſanias, quae profundiſſima ſunt parata myſteria ad uegetationem animorum, et humani generis inſtaurationem. An tu non audiuiſti, hanc uitam mimum eſſe, in qua quiſque eam perſonam gerit, quam aut natura, aut fortuna, impoſuit: eaque ſuſtinenda eſt tantiſper, dum hanc fabulam, id eſt, uitam, agimus. Quod ſi haec forſan dixeris ficta, commentitia, temporaria, fateor; ſed interea plena uoluptatis, plena boni animi, uacua atque immunia ab omni moleſtia. An hoc tibi parum uidetur, ſi humanum genus dies aliquot a miſeria et calamitate ferietur. Sic Athenienſes, quum ille uictoriam falſo nuntiaſſet, ac primo ſuccenſuiſſent, mox gratias egere, quod eius beneficio moeroris triduum lucri feciſſent. Certe, qui noctu per quietem ſe aut praediuites, aut conuiuas Deorum, aut reges eſſe, mentiuntur, ſe tamen* in-

interim beatos putabant, dum inducias habent cum humanis negotiis. Sic Mycillus apud Lucianum gallum execratur, qui tam bonam quietem cantu excusserat. Sic Grillus apud Plutarchum non aliunde brutorum felicitatem agnoscit, nisi quod per inscitiam conditionem suam ignorent. Quid ergo probibet, quo minus temporaria istbaec et solennis non multorum dierum interspiratio, ad instaurandum animum inuenta, in nobis quoque locum aliquem reperiat, ut mox alacriores ad seria studia reuertamur. Ita enim comparatum est natura, ut animus uicissitudine et commutatione rerum alatur, et labori quies, quieti labor, succedat, atque boc temperamento diutissime omnia contineantur. At tu bas forsan putas ineptias, quod eo babitu et schemate prodeant, quod tam licenter lasciuiant, quod tam uariis formis banc fabulam agant: ut nemo ita sit perfricta fronte, nemo tam probrosus, cui baec non possint ruborem incutere. Paucis tibi poteram respondere: non aliter scilicet geri banc fabulam, et togam saltanti praetendere, uel solo prouerbio, improbatum esse. Omni enim in re agunda praecipuum est consilium, ut tempori et decoro inseruiatur. Nam Tragoedia et Comoedia, ut aiunt, iisdem literis constant, uaria tamen ratione aguntur. In illa planipedes ingredi et soccos induere deforme est, in banc cothurnos et sceptra afferre importunum. Huic ergo fabulae publicae, huic mimo, quem sibi quisque indicit pro sententia, huic libertati, quam Carneualis beneficio toto anno semel assequimur, ne suas, obsecro, rationes, sua iura, suas praerogatiuas, quisquam auellat. Habere autem temporum optionem, in primis est cuiusque sapientissimi. Nam in occasione et opportunitate, quae tantilla res fortasse alicui uideri possit, omnia, quae

ad uitam bene ac beate agendam pertinent, posita sunt. Sed quid plura? quam meliori hominis parti, immo uero (si Platoni credimus) ipsi uero homini, natura personam, molem scilicet hanc corporis induxerit, qua mortales omnes obtecti, mortalibus ignoti uitam agunt: multi in aurea uagina plumbeum gladium abscondentes, plerique leones, lupos, uulpes, sues, et alias id genus feras, sub persona dissimulantes. Ex quo metamorphoses illae apud Circem natae sunt, et illud Plautinum exiit; homo homini non homo, sed lupus. Quae cum ita sint, interim innocentissimam uitam agimus, neminem laedimus, neminem defraudamus, nemini insidiamur, ad uoluptatem, ad amores, ad pacem, ad laetitiam, omnia comparamus. Quod reliquum est, certissimum existit, hoc Carneualis tempus nihil non habere hilare, iucundum, pacatum, plenum suauitatis, plenum deliciarum, plenum illius, quam tantopere optabat Democritus, τῆς εὐθυμίας, *quam tu uel tranquillitatem animi, uel securitatem, potes appellare. Quare absit, ut quisquam tam sit inauspicato natus ingenio, qui tantum ac tam beneficum uoluptatis munus non agnoscat, aut agnitum detestetur.* Hactenus CALCAGNINVS, non uulgaris personarum Panegyristes, et tantus fautor, ut qui ritum hunc tollere uelit, is demum non minimam delectationis partem ei eripere uideatur.

§. XII.

Quando laruae permissae.

Consectatus sum sapientum iudicia, inuestigaui mores consuetudinesque gentium excultiorum, inueni, quod abusum laruarum, nihildum reperi, quod sobrium moderatumque eorum usum, damnaret. Pro

hoc

hoc potius ratio, pro hoc iudicum incorruptorum prudentia, pro hoc denique exempla, neque unius generis conſuetudines, pugnant. Sed quo de uſu perſonarum, pariter atque abuſu diligentius ſtatuatur, diſpiciamus breuiter, ecquando laruae uel permittendae, uel prohibendae uideantur. Nihil autem obeſt, quo minus permittantur, cum citra malum et inhoneſtum finem fiunt. Hac mente cenſuit BARBOSA *Vol. deciſ.124. Lib. III.* fucum colorum in facie intra terminos adhibitum, lethalem non eſſe. Quo nomine laudauerit quis Ioannem Prochytam, Salernitanum, nobili loco natum, qui Sicilia Gallorum libidine et tyrannide oppreſſa, uxore etiam uiolata, patriae liberandae cauſſa, et iniurias illatas ulturus, ad Petrum Arragonium, Nicolaum V. Pontificem, et Michaelem Palaeologum, Imp. Conſtantinopolitanum, alioſque, commigrauit, opemque aduerſus Gallorum furorem petiit, religioſi hominis tunicam indutus, eoque habitu nemini cognitus, quoad, re perfecta, Veſperarum Sicularum tempus Gallis ſub Philippo V. quem uulgus Audacem nominat, cladem peſtemque afferret. Vel cum ob nimium et praegeſtiens, quod animo conceptum eſt, gaudium et honeſtam recreationem, fiunt. Quemadmodum, per Italiam, et maximam Germaniae partem, euenire, conſtat. Vel cum ſunt indifferentes. Aliquando etiam luctui nimio et publico ſeruiunt, uti ſingulatim in hodiernis Principum funeribus moris eſſe ſolet, ut eques quidam cum clypeo et armatura defuncti perſonatus funus praeeat. Nonnunquam ipſis etiam mortuis

laruae induuntur. Nimirum cum facies ruina aedium detrita, uel alio casu lacerata et deformata esset. Quae funera in ueteri Epitaphio laruata dicuntur, et obseruantur a PHILIPPO CAMERARIO *lib. I. Meditat. Historic. cap. 96.* ab IOAN. *item* KIRCHMANNO *de funeribus Roman. lib. II. cap. IX. et* CASPARE BARTHIO, *Aduers. 56. fol. 1146.* Idem, nostra quoque memoria, in miseris huius generis funerum pompis, iisdemque solemnioribus, obtinere, passim comperimus. Ac dignum memoria est, Vindobonae in aede D. Stephani, Serenissimos Austriae Archiduces pellibus leonum inuolutos et conditos inueniri. Testatur etiam PACICHELLIVS, Neapoli argenteam, et ad uiuum laruam faciei Andreae Auellini, Clerici Regularis, tectam conspici, cum caput eiusdem materiae simulacro asseruetur. Quales mortuorum laruae, dubium non est, quin in pluribus Pontificiae Ecclesiae partibus inueniantur. Ab his mortuorum personis propius abesse, et instar illarum esse uidentur tegumenta, ueluti chartacea', eademque crassissima, quae humanam faciem ad femur usque reddebant plurimis paganorum symbolis anteorsum et retrorsum insignita ac deaurata, Mummiarum Aegyptiacarum, de quibus ATHANASIVS KIRCHERVS, singulari libro de *Mumiis*, et ante eum PETRVS A VALLE, in *Itinerar.* e cuius Musaeo integumentum consimile, idque rari exempli, et duorum millium circiter annorum, ad IOAN. PETRVM BELLERIVM perlatum esse, PACICHELLIVS notat. Est praeterea, cum boni ominis caussa laruae suscipiantur. Quod facere Romani sunt soliti, cum crederent, si nouilunium mensis inci-

incipientis anni cum uoluptate laetitiaque tranſigerent, futurum, ut reliquum anni ſpatium, pari hilaritatis felicitatiſque genere tranſigere poſſent. Interdum, et ſaepius, animi remiſſionem et relaxationem iucundo laruarum uſu iuuant. Cum enim hilaritas honeſta hominibus, quod ait hominum ſapientiſſimus, *Prouerb. XVII. 22.* conceſſa ſit, nec perſonarum laruarumque uſus iuſtis et legitimis conditionibus circumſcriptus, uitii peccatique quicquam complectatur: cauſſa eſt nulla, quamobrem delectatio et uoluptas animi, quae ex eo capi queat, prohibenda uideatur. Praeſertim cum ueſtes dicantur a uelando, *u. DD. ad l. 127. π. de V. S.* ob eamque non ſolum honeſtati et neceſſitati, ſed etiam iucunditati inſeruire poſſint. Cum laruis autem pariter ac cum ceteris ludorum generibus agitur, quae nemo in uitio ponit, nec graues alioquin et cordati uiri refugere ſolent, et imbecillitas animi, rebus iucundis reficiendi, facile requirit ac tuetur. Nec quod ludicrum, ad luſumque comparatum eſt, idem pariter turpe eſt, niſi iocos liberales illos quidem, et ingenioſos interdum, luſus tamen animique cauſſa prolatos, et ſanctis etiam grauibuſque uiris nonnunquam in uſu poſitos, opinionis errore, peruerſoque rei non ſatis cognitae iudicio, decepti, turpitudinis ignominia afficere uelimus. Ipſas etiam ferias, ut quietem animus capiat, et labore, curiſque, oppreſſus paulatim excitetur, indultas eſſe, *l. Dominico. de Spectacul. Theod. Cod.* conſtat. Eadem cauſſa ſuaſit, ut Torneamenta concederentur. Taceo reliqua ludorum genera, quae

neminem temere fallunt. Quo quidem exhilarandi animi nomine laruarum caussam defendunt ANAN. *in cap. Latorum de homicid.* ANGELVS *in summ. uerbo: ludus. num.* 1. *D.* ANTONIN. *in summ. de curiositat. tit. de spectac.* IO. MARIA NOVARIVS *de Grauamin.* VASSALOR. *To. I. Grauam.* 309. VRRIES *ad ritum Magn. Curiae.* Nec minus SOTVS *de Iustit. et Iure*, 4. *qu.* 5. *a.* 6. VIVALDVS *copiose in Candel. p.* 3. *cap.* 13. *n.* 10. et alii. Facilius etiam permittendae sunt laruae, cum earum ritum regio quaedam accepit ac comprobauit. Scimus enim, mores domicilii, modo non penitus a recto ueritatis tramite deflectant, semper seruandos esse. Non minus igitur laruarum ritus, ubi semel in prouinciam quandam immigrauit, et consuetudine non turpi fundatus est, ab aliis, qui eam colunt regionem, retinendus uidetur. In loco enim seruiendum Eutrapeliae seu bonae assuetudini. Multum etiam refert, si Principis concessione laruae gerantur, propterea, quod principum indulgentia ualeat pro auctoritate. Vt rem, quae latius patet, in pauca conferamus, Personae seu laruae permittuntur, cum nec Deum, nec socium, nec nosmet ipsos, laedunt.

§. XIII.

quando contra prohibitae.

Quas nemo non intelligit, prohiberi, siquidem cum impia superstitione coniungantur, et seruiant idololatriae. Quo pacto superstitiosa uetustas commentitia colebat numina, adeo, ut ab hoc idolorum cultu laruae originem trahere quibusdam dicantur, ob eamque rem ueteres Christiani coetus doctores

in

in eas inuehuntur, quas, superstitionis labe contaminatas, a Christianis remoueri uolebant. Quorsum referas, licet, Bacchanalia, Orgia, Saturnalia, et tot alia huius generis sacra, quae personis instruebantur, et de quibus supra dictum est. Eodem attinet perantiquus ille ritus, cum Deos salutantes, et sacris operantes, obnupto capite, et demissis ad talos uestibus, Diis immortalibus supplicarent, adeoque personas reuera induerent, de quo plura disserit *Barnabas* BRISSONIVS *Lib. I. pag. 36. de Formul. Solemn.* Vti de Atte memorat LVCIANVS, eum, de Rhea castratum, uitam quidem uirilem agere desiisse, formam autem femineam sumsisse, uestemque induisse muliebrem, eoque habitu omnes terrarum oras obeuntem, sacra passim fecisse, et quae passus esset, narrasse, Rheamque celebrasse, uti legi licet de *Syria Dea*, *pag. 885.* Aut si ad uaria uitia et peccata occultanda adhibeantur, quibus Deus, socius et nosmet ipsi laedamur. Tali modo Deus offenditur, non modo cum idolis honos indignus habetur, uerum etiam cum homines corpus uultumque alieno habitu occulunt et dissimulant, quo tectius et impune omne genus libidinis sequi possint. Id quod in ueterum Bacchanalibus compertum esse, scimus. Quam in sententiam uetus IVVENALIS SCHOLIASTES: *criminose uiuat*, inquit, *id est*, *sub seueritatis figmento impudici sunt.* Eadem caussa fuit, quamobrem Lutetiae Parisiorum haec Bacchi sacra, ut testatur PITHOEVS, S. C. antiquarentur, et, cum fides facta esset, honestissimas cetera feminas male habitas, et adulterii crimine contaminatas esse, damnarentur. Socius autem,

seu

ſeu proximus uiolatur, cum perſonae uel laruae ſumuntur, quo uel caedes, rapinae, furta, uel aliae cuiuſcunque generis inſidiae occultius et impune fiant. Ipſe uero homo ſibimet ipſi iniuriam infert, quando, quod inter ſingularia generis ſui ornamenta et decora numerare debet, perſonarum indecentium, et ſeſe deturpantium uſu, deprauat, omnique honore indignum ſe reddit. Quorſum', dubium non eſt, quin in primis pertineant laruae, Daemones et malos genios repraeſentantes, cum homo ad imaginem Dei ſit conditus, et nihil magis, quam inſenſiſſimi huius hoſtis aſpectum debeat deprecari. Ex quo quidem peccatum letiferum contrahi, docet *cap. nullus. de conſecr. diſ. 5. Neuizzan. in ſylu. Nupt. lib. 4. §. 3. num. 10.* ioci cauſſam excipit, ſed ab hoc ioco cauendum, docet canon in *Decret. diſ. 44. cap. 8.* ubi dicitur: *Laruas Daemonum ante ſe ferri, Diabolicum eſt, et ſacris canonibus prohibitum.* Multa, neque id ignoro, ſine excuſantur. Sed didicimus adoleſcentes, qualis ſit finis, talia etiam eſſe debere media, quae ad finem ducant. Hoc eſt, non iniqua, non turpia, non periculoſa, ne actionis noſtrae finis illo terminetur fine, quem experti ſunt homines, igne, alioue luctuoſo et miſero interitu caſtigati, ac puniti, uti uidere eſt in *Theat. Vit. hum. fol. 94. l. 26. et M. 719.* et alibi. Idem ſibi fraudi eſt, cum nulla temporis, loci, honoriſque ratione habita, perſonas indecoras ſumit, et temeritatis dat ſpecimen. Quam inconſtantiam refert XIPHILINVS, Caligulam Imp. aliquando muliebri ornatum habitu, ſublimem praeſediſſe in eminenti ſolio, eumque ſutorem Gallum, forte

prae-

praetereuntem, irriſiſſe. Qua re animaduerſa, Caeſar hominem accitum rogat, quid ſibi de Imperatore uideretur? Cui reſpondit Gallus: magnam ſibi uideri eius dementiam. Demens uero uideri poterat, nec dignus Imperatoris nomine, cum non uir, ſed mulier, ſtulte, et alieniſſimo tempore, et cum dedecore Romani nominis, uideri uellet. Plura non addimus, cum poſſemus, quando ex iis, quae praeſtruximus, cetera facile iudicantur. Atque adeo cum laruarum uſum defendimus, abuſum earum reiicimus ac repudiamus. Quo uero clarius conſtet, maſcerarum uſum iuri naturae, de quo in praeſens laboramus, non omnino eſſe contrarium, praecepta actionum moralium, pace atque uenia lectoris, ſubiiciemus, ex quibus generatim, quid liceat homini, quidue eidem ſit uetitum, perueſtigari, et deinceps, argumentum noſtrum mediae eſſe naturae, cognoſci queat.

§. XIV.

Scholaſticorum reprehenditur πολυπραγμοσύνη.

Sui et inſequentium ſeculorum doctrinae lumen, Eraſmus, illorum non immerito redarguit inſtitutum, qui, quod Scholaſtici doctores, conſcriptis ingentibus ſummulis, conſcientiae caſibus, conſiliis, deciſionibus, theſauris conſcientiae, clauibus regiis, faciebant, omnes rerum humanarum caſus, antequam accidiſſent, ueluti in numerato habebant, et fictis conditionibus ſingularibus, in ſcholae otio decidebant, de cetero, quod in rebus diiudicandis praecipuum eſt, ſoliciti parum de generali qua-

 dam

dam norma et plano principio, quo rite cognito, complures diuersique casuum modi explicari possent, licet tot ingentia uolumina de singularibus quibusdam actionibus humanis non conscriberentur, uel conscripta extarent. Tanta est enim singularium casuum in uita humana multitudo, tantaque uarietas, si ad minutas περιστάσεις descendimus, ut libro, uasto licet, omnes comprehendi non possint: paucissimis uero tantum est otii aut memoriae, ut perlegendo omnia ueluti per exempla cognoscere, aut in promptu habere, queant, si casus idem, aut, quod frequentius accidit, conditionibus nonnullis dissimilibus, propositus sit decidendus.

§. XV.

communia et solida principia laudantur.

Ii certe generi humano, in diiudicandis suis aliorumque hominum actionibus, magis consulere uidentur, qui communia nonnulla, sed plana et solida principia, quanta possunt breuitate, proponunt, ut, his recte cognitis, deinceps iudicio naturali quisque colligat, quid sibi faciendum, quidue omittendum, uideatur. Licet enim nulla facile detur regula, quae restringi non possit, et in negotiis particularibus pro eorum, quae circumstant, ratione non temperetur, aut tollatur: haec tamen omnia ab homine, ratione et prudentia, etiam mediocri, praedito, in singularibus facile supplentur, si summa rerum capita rite constituta fuerint et percepta.

§. XVI.

§. XVI.

Quid actiones ſint humanae, notius eſt, quam ut explicari mereatur. Quilibet enim in ſemet ipſo deprehendit aliquam agendi, aut alicuius negotii expediendi facultatem. Quam qui exercet, id exinde conſequitur, ut eadem ipſi actio imputetur uel ad laudem, uel ad uituperium, ad praemium, aut poenam. Quod ut recte conuenienterque fieri poſſit, in agente requiritur, ut recto intellectu utatur, ac uoluntatis libertati nullum afferatur impedimentum. Alias ratione huius actio neque licita, neque illicita, bona, uel mala, dici poterit, ſed in alterutrum, ſcienter et libere agentem, tanquam auctorem, tranſferenda erit. *Quid actio humana, et quomodo agere, quomodo libere agere dicamur.*

§. XVII.

Cum autem actio hominis licita, aut illicita, dicitur, tum poteſt illud quidem intelligi, uel de conſcientiae foro, uel de foro ciuili. In foro conſcientiae uocatur actio aliqua licita, quando, excuſſis in animo noſtro actionibus, riteque expenſa actione noſtra ſecundum legem rationis internam commiſerimus quicquam: licet alii forte praeiudicia nonnulla ſecuti, ſecus putent. Prohibita autem in foro conſcientiae actio habetur illa, ob quam grauiſſimis rationibus, et quas diluere, etiamſi cum ſapientiſſimis communicentur, non poſſumus, urgemur, noſtram ſcilicet actionem repugnare ipſius iudicio rationis in animo noſtro, quod nos intus arguit, uiolatum fuiſſe *Quid actio licita et illicita in foro conſcientiae et ciuili.*

ius aut legem interne, a ſuperiore nobis ad obſeruandum latam. In foro autem ciuili dicuntur actiones noſtrae licitae, ſi oſtendere nemo nobis poteſt, aut nos conuincere, legem nos ab ſuperiore magiſtratu latam, agendo uiolare, licet forte nobis aliter conſcii ſimus, quod uel ſecus egerimus, uel lex ciuilis non debuerit actionem noſtram nobis permittere: prohibita contra in foro ciuili eſt actio, quae legibus a ciuitatis magiſtratu, in qua uiuimus, latis, repugnat. Perinde autem fuerit, utrum in foro ciuili ferantur, uel potius repetantur, leges naturales diuinae, an uero ab hominibus ſancitae. Generatim enim intelligendum eſt, actiones illas in foro ciuili cenſeri licitas, quae non uetantur, et de quibus nulla lex eſt lata, quae uero, lege conſtituta, ſunt interdictae, prohibitas eſſe.

§. XVIII.

Forum conſcientiae uniuerſale, accuratius et norma eſt ciuilis fori.

Forum conſcientiae apud omnes pari rationis gradu utentes, eſt uniuerſale, et idem ubique. Quod ſi enim fingas, idem eſſe rationis iudicium, et parem iudicium hoc intelligendi in animo facultatem, conſequitur eadem ſententia, aut pronunciatum, de hac uel illa actione, quod licita, aut prohibita, ſit. Sed forum ciuile, pro magiſtratus et Reipublicae conditione, proque perſonarum ſtatu aut captu, uariat. De Domitiano, Imperatore, SVETONIVS, *cap. 7.* auctor eſt, ipſum, caſtrari mares, uetuiſſe, quod ante ipſum uſu ueniebat. Chinenſes et Armenii lupanaria publica, et gratuita, ex pietate, neceſſitati et honori hoſpi-

hospitum praestant. Mexicani et Peruuiani uiri uxores, fratres sorores, et patres filias, liberrime uocant, quod nobis inhumanum est. Videantur plurima talia a Maltheo Vayerio congesta in *Dialogo*, qui *la philosophie sceptique, et, le banquet sceptique*, inscribitur. Forum conscientiae multo accuratius rerum momenta expendit, quam forum ciuile, quod in popularibus, et quatenus reipublicae ut plurimum corruptus status patitur, acquiescit. Hinc Cicero *lib. 3. Offic. aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt, philosophi ratione et intelligentia.* Ceterum forum conscientiae dux et norma est ciuilis fori. Quod enim prius homines recto rationis lumine in se, et ueluti semoti a ciuitate, uerum, utile, honestum, bonum animaduerterunt, illud deinceps in rempublicam ad usus communes introduxerunt, legibusque ciuilibus sanciuerunt. Inde laudatur Socrates, quod philosophiam uocauit de coelo, et non solum in urbibus collocauit, sed et in domos introduxit, et in uillas denique, agrosque, deduxit.

§. XIX.

Nos hic de actionibus moralibus, quoad ad forum conscientiae pertinent, iudicamus.

Quae nos circa actionum moralium fundamenta commentabimur, ea ad forum conscientiae internum, quo quisque semetipsum respicit, praecipue pertinent. Non solum ideo, quod conscientiae tribunal, uti §. 18. superiori docuimus, est commune apud omnes intelligentes, multoque accuratius de rebus et actionibus humanis sententiam fert, quam ciuile, sed etiam, quoniam hoc forum dirigit, et de-

 signat,

ſignat, quid prudenter in ciuitate ſtatuendum, permittendumque, aut pronunciandum ſit. Quo perſpecto, tanto maiori firmitate conſtabit, quid in republica, bene ordinanda, iuberi, concedi, aut uetari oporteat, quatenus quidem res humanae accurationem diligentem patiuntur. Negari enim nequit, multa in republica, etiam a ſapientiſſimo legiſlatore, toleranda eſſe, quae pro tempore ſine inſigni rerum conuerſione, aut uulneribus publicis emendari non poſſunt. Recte enim et prudenter Tiberius apud Tacitum *An. lib. 3. cap. 53.* ſatius eſſe, duxit, adulta uitia permittere, quam id tantum aſſequi, ut palam fiat, quibus uitiis impares ſimus.

§. XX.

et principiis generalibus. Quod ſi tamen nonnulla in melius reſtitui poſſunt, horum prudens emendatio in iis potiſſimum facienda erit, quae in foro conſcientiae ſumme neceſſaria eſſe, cognoſcuntur, neque cum honeſtate aut boni uiri opinione conſiſtere queunt. Sed nobis principio maxime curae erit, ut oſtendamus, quid homini priuato, qui rationem et conſcientiae uim internam ſequitur, licitum ſit, et ex quo fundamento dignoſci poſſit, haec ita, neque aliter, in uita eſſe peragenda. Tradentur autem principia generalia, et quae ex natura facile cognoſcuntur. In ſpecialibus enim et ſingularibus uitae caſibus expendendis, Iureconſultorum eſt, uerſari; quae uero doctrinae rationem ſuperant, Theologorum ſcholis merito ſunt relinquenda.

§. XXI.

§. XXI.

Illud praemonendi adhuc ſumus, quod licitum alias, et in anguſtiori ſignificatione acceptum, differat ab honeſto, cum praeſertim in ciuitate multa dicantur licita, uti ſunt cogitationes flagitioſae, et nonnulla probra, quibus praetor nullam poenam ſtatuit, quae tamen honeſta haud dici poſſunt. Nos tamen, quoniam ad interna potiſſimum et conſcientiae tribunal oculos intendimus, generatim uocem liciti pro eo, quod honeſtum eſt, accipimus, et licita quoque honeſta iudicamus, uti latius in ſequentibus patebit. Conſtat etiam, in uulgari ſignificatione, prohibitum plurimum differre a turpi. Multa enim in ciuitate ex conſuetudine, aut decori lege, prohiberi conſueuerunt, quibus tamen parum aut nihil turpitudinis ineſt, ſi ſecundum rationem ſolam, remota legis ciuilis obligatione, expendantur. Verum a nobis uoces hae ſic uſurpantur, ut ex eo, quod prohibitum, oſtendi poteſt, ſequatur, idem etiam turpe dicendum eſſe; uti ex contrario, quod licitum cenſetur, idem illud quoque putabitur honeſtum. Quibus praelibatis, prudentiae morum origo repetenda nobis altius eſt, ut deinceps melius de ceteris, quae ſequuntur, iudicium ferri poſſit. Quod ſequentem fere in modum exequemur, ita tamen, ut, quemadmodum mathematici lineas, earundemque affectiones conſiderant, abſtrahendo ab omni materia, quaecunque illa ſit, cui tandem inſcribi poſſint; ita nos in principiis hiſce tradendis ſic uerſabimur, ut

an licitae, et honeſtae, uel prohibitae, et turpes ſint, docemus.

nullam

nullam rationem habeamus hominum, quibus haec accommodari, aut qui iisdem uti possent, sed secundum naturam, communem rationis ducem, communiora quaedam capita, proponamus.

§. XXII.

Principium commune

Sint itaque *communia* haec actionum moralium *principia:*

1. de Dei sapientia et bonitate.

I. Natura duce cuique compertum manifestumque est, *Deum esse sapientem, et bonum.* Quisquis enim hoc negat, neget, necesse est, Deum existere, perfectumque esse, quos contra ab aliis, in Theologia naturali, aut metaphysicis disquisitionibus, satis disputatum est.

2. de hominis creati uiribus.

II. *Si Deus sapiens et bonus condidit hominem, instructum facultate agendi uiribus, sibi inditis, euidens est, hominem hisce uiribus suis, a Deo concessis, ea omnia legitime peragere potuisse, quae ipsius quidem uirium sunt.* Alias Deus ipsi uires concessisset, quibus tamen agere non debebat. Quod contradictorium, et sapientiae eius est repugnans. Cur enim non minores concessit uires, quas refraenare opus non erat?

3. quicquid potest, licet homini facere.

III. *Homo itaque uiribus suis, a Deo sibi inditis, habet ius et libertatem agendi, quousque potest.* NB. Haec prima est origo actionum moralium licitarum.

4. excepta re, a Deo prohibita.

IV. *Hinc omnia homini agere licet, quae potest, nisi Deus iubeat, ut quaedam omittat, quoniam homo habet libertatem animum ad hoc uel illud applicandi, agendi, uel non agendi.* Haec est prima origo actionum prohibitarum.

V.

V. *Sed Deus est bonus, h. e. qui neminem, quo minus agat bene, impedit, et sapiens, h. e. qui omnia longe, antequam ea exequeretur, legitime iam ordinauit, unde nihil censetur prohibere, quam quod est malum.* Cur enim bonum agere prohiberet homini, ad quod tamen peragendum ipsi uires concessit. Vid. §. 2. Ergo malum tantum agere, prohibet Deus.

5. hic propter bonitatem et sapientiam.

VI. *Itaque homini uiribus, sibi a Deo datis, nihil prohibetur agere, praeterquam malum.* Iam itaque ostendendum est, quid malum sit, quatenus ex ratione cognosci potest. Vocatur alias peccatum, et locus esset differendi ex Theologia de peccati origine, sed Theologica Theologis relinquere praestat.

6. malum tantum prohibet.

VII. *Malum est, quod mihi nocet, omnium autem maxime mihi nocet, quod uires meas, a Deo acceptas, corrumpit.* Nam uires meae omnium maxime ad me spectant.

7. malum quid?

VIII. *Ergo malum uoco omne illud, quod res ad me pertinentes, in primis res mihi omnium maxime ad felicitatem necessarias destruit, imminuit aut impedit.* Videndum iam est, quae nobis res ad facultates adsint, quae destrui aut imminui possunt, ut intelligamus, actionum prohibitarum caussas, et quousque se illae extendant.

8. quod nempe res maxime mihi necessarias corrumpit

IX. *Inter res, quae homini proxime adsunt, est anima et corpus.*

9. animam et corpus.

X. *In anima est intellectus, uoluntas, libertas: in corpore partes sunt uariae, quas uno nomine instrumenta appellabo.* Iam uidendum, quot modis homo actioni-

10. in anima intellectum, uoluntatem, libertatem.

bus ſuis, hiſce partibus nominatis, malum inferre poſſit, quippe quae omnia a Deo ſapiente et bono erunt prohibita.

11. *intellectum impedit ignorantia.* XI. *Intellectus impeditur ignorantia*, generatim ſumpta, ut etiam errorem et coeca iudicia comprehendat. Poſſet hoc loco explicari, quotuplex ſit ignorantia, uti de ſuperiore Deo, unde oritur Atheiſmus, ſuperſtitio, etc. de nobis ipſis, unde nimia philautia, ambitio, etc. de nobis natura aequalibus, unde iniuſtitia in eos, etc. Sed uereor, ne rei immorer diutius iuſto.

12. *ergo ignorantia eſt malum.* XII. *Ergo ignorantia malum eſt.* Et omnis actio, quae inde prouenit, damnatur a Deo, et eſt prohibita.

13. *uoluntatem corrumpit uitioſa propenſio.* XIII. *Voluntati nocetur inconſiderata propenſione ad bonum minus prae maiori, aut ad bonum apparens prae uero.*

14. *ergo haec eſt malum.* XIV. *Hinc propenſio ad minus bonum, aut ad bonum apparens, eſt malum.* e. c. Si Deo eſt ſeruiendum et homini, malum eſt, homini prae Deo ſeruire. Si anima et corpus eſt conſeruandum, malum eſt, corporis conſeruationem animae cuſtodiae praeferre.

15. *libertas minuitur prauis affectibus.* XV. *Libertas, quae eſt indifferentia eligendi ex duobus bonis optimum, impeditur aut imminuitur affectibus animi peruerſis.*

16. *ergo hi ſunt malum* XVI. *Ergo peruerſi animi affectus malum ſunt.* Et actiones, quae inde proueniunt, homini ſunt prohibitae.

XVII.

XVII. *Corporis instrumenta destruuntur aut imminuuntur plagis, tempestatibus, et, si cibus, uestimenta, aut alia, ad eorum conseruationem necessaria, non suppeditantur.* *17. corpori uarie nocetur.*

XVIII. *Ergo hae omnes malae sunt.* *18. et quicquid ei nocet, est malum.*

XIX. *Et rerum externarum ad corporis conseruationem necessariarum, defectus aut subtractio est mala.* *19. ergo et rerum necessariarum defectus.*

XX. *Isthaec omnia mala sunt, in quocunque homine haec accidant.* Quia Deus omnes condidit his uiribus, et uoluit, ut hisce uiribus agerent, non uero ista destruerent. Obseruatis tamen malorum gradibus, conf. §. 15. sic, si corpus aut fortuna sunt destruenda, satius est, perire fortunas. *20. in quocunque homine inueniatur.*

XXI. *Hinc malum est, alterius intellectui, uoluntati, libertati, corpori aut fortunis sine caussa nocere.* Et omnia haec prohibita sunt. *21. sine caussa nocere alicui, est prohibitum.*

XXII. *E contrario bonum est, semetipsum in omnibus superioribus conseruare, et uires suas perficere.* Et proinde omnes licitae sunt actiones, quae eo faciunt. *22. bonum est, se conseruare et perficere in bonis.*

XXIII. *Bonum etiam est, omnia haec alteri procurare,* per §. 19. Quia in omnibus hominibus debent adesse, et proinde actiones, quae eo tendunt, licitae sunt. Sed incidunt et plerumque quidem controuersiae de bonis fortunae, conseruando item corpore nostro, aut alterius controuersiae generis. Vbi duo proponi dubia possunt. Primum an fortunas alteri eripere, aut plane non eripere, liceat? Deinde an, si incidat nostro aut alterius corpori damnum inferendi necessitas, quid naturali aequitate iustum sit? Vt *23. et alteri bona procurare.*

haec ex nostris principiis soluantur, adiiciamus etiam sequentia.

24. *Quae recto intellectu, et bono appetitu possidentur, nemini eripienda sunt.*

XXIV. *Nihil nobis aut alteri, quod recto intellectu et legitimo uoluntatis appetitu possidemus, eripendum est.* Fundamentum continetur §. *12.* et *14.* Quia, quicquid egimus aut acquisiuimus per ignorantiam, h. e. quod non debebamus, aut malo appetitu, hoc est, cuius possessio nobis ipsis nocet, quoad animum et corpus, hoc malum est, ac proinde acquirendi actio nulla est, sed acquisita iterum auferri possunt. Sed ex aduerso, quicquid recto intellectu, h. e. iure, acquisiuimus, et uoluntatis appetitu legitimo, neque uoluntarie iterum dimittere nolumus, hoc nobis non eripi, sed relinqui, debet.

25. *eiusmodi ablatio est malum.*

XXV. *Igitur eripere alteri aliquid, quod recto iudicio, ueraque mentis et animi inductione, acquisiuit, malum est.* Atque idcirco omnes huiusmodi actiones prohibitae sunt. Haec est origo et fundamentum omnis iustitiae diuinae et humanae. Sed quia canon hic unicus obscurus et exceptionibus nonnullis obnoxius illis uideri poterat, qui breuioribus doctrinis non sunt assueti, adiiciemus et alia, simul usum indicaturi.

26. *non licet propendere in minus bonum, aut eo abuti.*

XXVI. *Nimium propendere in minus bonum, aut eo abuti, malum est.* Ergo non licet, per §. *14.*

27. *ad emendationem alteri auferri bona fortunae possunt.*

XXVII. *Hinc iure alteri auferri bona fortunae, aut malum, corpus affligens, inferri potest, quod ad ipsum emendandum facit.* Nam sic consequitur, bonum maius esse, cui, quae nocent, auferuntur, liberatur a malo, ignorantia nimirum, peruersoque appetitu, per §. *12. 14.*

Haec

Haec origo eſt poenarum licitarum, et punitionum ciuilium, quae ex hac ratione iuſtae ſunt. Quod etiam Deus ipſe exercet in homines. In foro ciuili ſunt nonnullae exceptiones, cur nemo, niſi magiſtratus ſit, regulam hanc 27. exercere poſſit, cuius cauſſa infra explicabitur, ſed in ſtatu naturali, et ante imperium ciuile, aut in imperio diuino, uniuerſale axioma eſt. Poſt regna etiam conſtituta, quia quilibet rex ſummus et abſolutus cenſetur, nemo ipſum ex hac cauſſa inuadere poteſt, niſi ab ipſo offendatur.

XXVIII. *Negare alteri, ſine cauſſa ſumme neceſſaria, ad ſui conſeruationem, malum eſt*, per §. 7. *Et cum quiſque ſe conſeruare debeat*, per §. 19. *Quilibet rerum abundans, alteri ea, quantum licet, procurare debet*, per §. 19. *Hinc illud facere negans propenſione praua in bona minora laborat. Quod malum et probibita res eſt*, per §. 14. *28. Negare alteri ſumme neceſſaria, prohibitum eſt.*

XXIX. *Ergo licitum eſt, ut eiuſmodi rerum affluenti copia demantur facultates non neceſſariae, quod aliis* per §. 16. 17. *et ipſimet bonum eſt*, per §. 24. Obſeruandum autem, quod in tali caſu poſſeſſor non adducere poſſit rationes denegati officii, alioquin audiendas. Haec eſt origo dominii eminentis. *29. rebus affluenti eiuſmodi facultates demi poſſunt.*

XXX. *Qui in alterum aliquid confert, non expenſis rationibus, aut per incogitantiam, ſimilis illi eſt, cui aliquid contra plenam uoluntatem eripitur inuite.* Quod malum et facere prohibitum eſt, per §. 21. Nam ſi eiuſmodi expendiſſet rationes, et adiuncta perſpexiſſet, actum non feciſſet. *30. dare et accipere per incogitantiam malum eſt.*

31. *qui ita accepit, non est securus de perpetua possessione.*

XXXI. *Hinc is, qui aliqua ex hoc capite accepit, non omnino securus est de perpetua possessione.* Haec est origo reductionum, reuisionum, et restitutionum, quae uocantur, in integrum. In foro tamen ciuili non conceditur ob minutas laesiones, aut omnes defraudationes restitutio, ob euitandam multitudinem litium, et ut quilibet sibi ipsi caute prospicere, assuescat.

32. *deliberato facta bona ac rata sunt.*

XXXII. *Quicquid recto iudicio et plena uoluntate agitur, illud bonum ac proinde firmum et ratum est.* Hinc intelligitur ueritas axiomatis: Quod initio fuit uoluntatis, ex euentu facti fit necessitatis. Et qui suasionibus inducitur ad declarandam uoluntatem suam, nisi res fuerit oppido mala, postea mutare placitum nequit.

§. XXIII.

Principia de actionibus licitis, et prohibitis.

Sed haec iam ad casus singulares pertinere uidentur. Vt igitur in generalibus et naturalibus notionibus nos contineamus, usumque traditorum, qui in superioribus continetur, luculentius demonstremus, formabimus regulas quasdam, de actionibus hominis licitis aut prohibitis, quantum ex lumine naturae, citra decreta cuiusque loci aut ciuitatis, cognoscitur. Ex constitutis a nobis principiis possunt regulae in moralibus deduci respectu actionum uel *licitarum*, uel *probibitarum:* atque eae quidem uel generatim, uel speciatim traditae, pro casibus singularibus decidendis in actionibus, quae uel nosmet ipsos, uel alios, respiciunt, tum secundum *animam*, tum *corpus*, tum *fortunas*. Sed ut modum obseruemus, unam

unam duntaxat uel alteram regulam *generatim* proponemus, quae ut illuſtretur, nonnulla in *licitis* et prohibitis actionibus tenenda, ſubiiciemus, et breuem aliquem *uſum* in uita humana indicabimus, propoſito ſingulari exemplo de carnis priuio, traditorum utilitatem confirmaturi. *Generatim* itaque regulam hanc lectori noſtro notandam damus:

Nihil homini natura prohibitum eſt, ad quod agendi uires habet a Deo ſibi conceſſas, niſi quod malum ſit, h. e. tale, quod gloriam diuinam, animum, corpus et fortunas, uel proprias, uel alterius, laedat, imminuat, aut deſtruat citra cauſſam.

Principium commune unicum: Omnia licent homini, praeter mala.

§. XXIV.

Veritas firmitaſque huius axiomatis ſatis luculenter cognoſcitur ex fundamentorum general. 2. et 3. Nam fruſtra dediſſet Deus ſapiens et bonus homini uires, fruſtra adiunxiſſet cupiditatem, conatum, deſideria agendi, niſi agere liceret. Hinc quando conſtat, uires naturales profectas ſiue additas fuiſſe a Deo, quatenus a Deo profectae ſunt, recte et euidenter colligitur, omnia licere hiſce agendi potentiis agere, ad quae ſe uis earum et naturale robur extendit. Nulla enim eſt ratio, cur Deus ipſum a ſe datum homini ad agendum, dataſque uires impedire uellet. Immo inconſtantiae arguendus eſſet, quod dederit uires ad agendum, et tamen nollet, ut agendo ſeſe exercerent. Obſeruandum tamen, duplicem dari rationem, cur Deus uires naturales agere prohibeat, uel potius agendi modum ad alia flectere iubeat. Primum

confirmatur.

mum si maius bonum inde uelit elicere, aut manifestum reddere, e. c. obsequium suum, rei conditae obsequentiam, fidelitatem etc. Huc pertinent interdictum de non comedendo fructu ex arbore uetita. Non enim prohibebatur homo cupere aut appetere ductu naturali res, sensui obiectas, quippe quod absurdum fuisset et contradictioni obnoxium, habere scilicet cupiditatem ad res propositas appetendas, eoque consilio a Deo datas, et tamen rem nullam sensibus expositam ex uoluntate Dei esse appetendam, sed tantum uidebatur appetitum ad alias res obiectas, e. c. ad alia poma, conuertere. Ratio erat, quia Deus obsequium hominis, sui nominis obseruantiam etc. patefacere uolebat. Sed ut in statu naturali homo cogatur abstinere ab alicuius rei appetitione, euidentissimum primo sit oportet, Deum illud uelle, et quidem ex ratione omnium luculentissima, alias prohibitio diuinitus facta non praesentitur. Ratio autem satis euidens ex natura est, si homo cupiditate sua aliquid appetat, quo destruit corpus, animo nocet, aut damnum manifestum sibi, aliisue infert, quia Deus bonus uult hominis animam, corpus, fortunas esse saluas. Ergo deinde Deus prohibet actus, qui mali sunt; mali autem quinam sint, explicatum est euidenter principio 7. et 19. Ratio, cur interdictum mali indicetur a Deo factum, haec est, quia conciliari nequit, Deum dedisse cupiditatem ad agendum, ut homo felix sit et saluus, et tamen deinceps Deum uelle, ut cupiditate aut hac agendi potentia semetipsum destruat, aliosue. Itaque quum, quae sibi obstant,

ſtant, nequeant eſſe uera, et primum ſatis certum ſit, quod Deus dederit agendi uires, alterum falſum eſſe, neceſſe eſt, quod nimirum agendi uires ſe extendere poſſint iure ad malum, aut ad nocendum ſibi, uel alteri. Sed quia interdum accidunt caſus, ubi ſibi aut aliis neceſſario nocendum eſt, e. c. caſtigare ieiunio corpus, ut animus emendetur, punire uerberibus, aut fortunis ademptis alterum, ut ſapere incipiat, hinc ut plana eſſent omnia, et dubiis iſtis una ſatiſfieret, adiecimus 14, in primis uero 23. 24, 25, 26, 27, 28. Ex quibus patet, licere maius bonum appetere, adeoque alterum minus malum boni rationem induit, quod tamen in cauſſis et caſibus, qui euitari nequeunt, tantum eſt faciendum. Hinc iam liquere exiſtimamus, propoſitionem iſtam recte pro norma poſſe admitti, ex qua ſecundum naturam (dico ſecundum naturam, quia uim et facultatem rationis tranſcendentibus nos non immiſcemus) colligitur, quod homo uiribus ſibi conceſſis poſſit licite omnia et perpetuo agere. Modo conſtet, hominem uires ſic et in iſto ſtatu, neque aliter comparatas accepiſſe, a Deo. Aliter exceptio adducta habebit locum, quod omnia agere liceat, niſi malum. Hinc quid illud ſit, et quoad natura cognoſci poſſit, explicatum a nobis eſt.

§. XXV.

Subſiſtere in fundamento hoc, generatim ſic tradito, poteramus, quod omnes regulae ſingulares inde deduci poſſunt. Verum, quia tum ad ueritatem canonis, *ſingulares regulae, de licitis.*

R

nonis, tum ad eius quoque euidentiam faciet, apud eos in primis, quibus noua haec doctrinae ratio uideri poterat, adiiciemus etiam nonnullas ſpeciatim regulas, quae uim habent affirmandi, ſiue ex quibus licita colliguntur; et ui praeditas negandi, ſiue ex quibus, quid prohibeatur, cognoſci poteſt. Sint itaque *ſpeciatim*, quae, quid liceat, indicent, ***regulae ſequentes.***

1. Scientias et artes omnes licet addiſcere.

I. ***Licitum eſt, omnes ſcientias et artes addiſcere, quae intellectum informant in ſpirituum cognitione et corporum.*** Per regulam generatim traditam. Habemus enim inſtinctum, ad diſcendam naturam rerum praeternaturalium et naturalium, ſpiritualium et corporalium. Habemus intellectum, ut ea poſſimus cognoſcere. Haec cognitio nobis non nocet, ſed prodeſt, quia perficit animum, E. licita eſt.

2. ueſci, bibere, ueſtibuſque uti licet.

II. ***Licitum eſt, ueſci omnibus, et bibere omnia, rei uenereae indulgere, omnique ueſtimentorum uti genere, quibus nullum nec animo, nec corpori, nec fortunis noſtris infertur damnum.*** Nam omnia licet agere, ad quae agendi facultatem a Deo conceſſam habemus, per regulam generatim traditam.

3. licet libertatem ſuam conſeruare.

III. ***Licet libertatem ſuam omnibus idoneis mediis conſeruare.*** Quia libertas eſt bonum, ad quam ſummopere propendemus. Ad quod autem propendemus, agendique habemus uires, illud ſemper et in omnibus licet, niſi malum ſit, per regulam generatim traditam.

IV.

IV. *Licitum est, repugnare consuetudini introductae, quae libertati, sano intellectui, uoluntatis rectae propensioni et sanitati, opponuntur.* Homo enim in his omnibus habet agendi libertatem per regulam generatim traditam. *4. licet repugnare consuetudini.*

V. *Licitum est, ut, quo quis prae altero maius habet intellectus lumen, uoluntatisque nobiliorem propensionem, tanto maiori prae ignaro et malitioso gaudeat libertate.* Nam omnia natura licet agere, ad quae facultatem, i. e. intellectum rectum, et uoluntatem legitimam, habemus, per regulam generatim traditam. Sapientior in his praestat prae ignaro et malo. E. liberius aget. Nouit enim de omnibus reddere rationem, quod non male agat. *5. maiori libertate dignus est, qui maius intellectus lumen habet.*

§. XXVI.

Has excipiant *regulae*, quae, *quid probibitum sit*, manifestum *speciatim reddant.* *Singulares regulae de rebus prohibitis.*

I. *Probibemur agere omne illud, quo fortunarum quidem, aut corporis, incolumitas promouetur, sed animo nocetur.* Nam propensio ad minus bonum prae maiori, qualis est animus, corpori comparatus, aut ad apparens bonum prae uero, malum est, per fundam. 14. Mala autem prohibita sunt per fundam. 7. *1. Prohibetur, quicquid animo nocet.*

II. *Prohibemur salutares et utiles scientias negligere, supprimere, occultare, damnare, aut contra has peccare.* Quoniam haec omnia mala sunt, per fundam. 12. *2. Prohibemur scientias damnare.*

III. *Prohibemur natura, nimium cibo, potui, Veneri indulgere; prohibemur etiam nimium a cibo, potu, Venere* *3. Prohibemur nimium cibo, potui, Veneri*

indulgere uel nimium ab iis abstinere.

abstinere, ut detrimentum inde patiamur: Haec enim mala sunt, per fundam. 16. 17.

4. Probibemur nobis aut aliis utile aliquid auferre.

IV. *Probibemur aut nobis, aut alteri, auferre, quod animo, corpori uel fortunis augmento aut utile est, nisi ad emendationem.* Citra hunc enim respectum haec mala sunt, per fundam. 12. seq.

5. Probibemur alios ui aut bello aggredi.

V. *Probibemur alterum ui aut bello aggredi, ut, quae ipse recto intellectu, siue iure et uoluntate legitima possidet, eripiantur.* Sunt enim mala, per fundam. 12. seq.

6. Probibemur pati citra meritum iniurias.

VI. *Probibemur pati, ut corporis aut animi malum, destruendi uim habens, nobis citra meritum continuo inferatur.* Est enim malum per fundam. 12. seq.

7. Probibetur auaritia, uoluptas, ambitio.

VII. *Probibemur indulgere auaritiae, uoluptati, ambitioni, aut aliis passionibus uitiosis.* Quia malum sunt, et eripiunt nobis libertatem, maiusque bonum, id quod malum est, per fundam. 14. 16.

§. XXVII.

Ex his principiis quaeritur, an Deus offendatur laruarum usu.

In tradendis his regulis, quarum numerus longe maior addi potuisset, abstinemus merito a casibus singularibus et maxime specialibus, qui omnes adduci nequeunt, quorumque plurimi ex his, generatim traditis, facile iudicari possunt. Nam si unicum duntaxat casum singularem expromserimus, haud difficulter ex recensitis principiis constabit, quam plene et summa cum ratione decidi possit. Quaerat enim, exempli caussa, nonnemo, *an Deus offendatur, si quis tempore Carnispriuii,* in der Fasten, *quod ab Ecclesia Pontificia laicis praestitutum est, ne carnibus uescantur, postbabito*

habito Ecclesiae uel Pontificis mandato, carnibus non abstineat? Quaestio decidenda est in foro conscientiae. Nam ex politicis rationibus benefaciunt, qui necessitati in terris Pontificiis cedunt. Respondendum est secundum regulam generatim traditam, et animaduertendum, quod homo habeat facultatem aut instinctum ad carnes comedendas, quem quisque impune exercere potest, nisi malum ostendatur inde proueniens, quod hoc loco euenire non uidemus. Ergo in foro conscientiae licitum est, uesci tempore quadragesimali carnibus, non obstante ecclesiae siue Pontificis interdicto, quod non alio nititur fundamento, nisi superstitione, proueniente hinc in conscientias hominum imperio illicito. Quod si tamen aliquis carnium esu incitetur ad libidinem, bene quidem agit, si ex hac ratione carnibus abstineat, per fundam. 14. et regulas, quibus, quae prohibita sint, exponuntur, 1. et 3. Verum hoc non certo anni tempore, uti quadragesimali, aut semel in anno, sed toties eoque temporis interuallo faciendum est, quoties et quando stimulos istos incrementa capere apud nos, animaduertimus.

Ita, si soliciti sumus, *utrum personis laruisque uti nonnunquam* liceat in foro conscientiae? Nihil dubitamus, quin eam quaestionem ex praemissis principiis affirmemus. Etenim Deus uires homini concessit et libertatem se uaria ratione uelandi, ornandi, recreandi, non igitur id semper et ubique homini prohibitum est, nisi ubi mali quid inest illi rei, secund. principium 2. 4. 5. ubicunque igitur personarum usus

 utenti

utenti non nocet, ibi non eſt malus, nec prohibitus ex principio 6. et bonus eſt ac praeceptus, ubicunque noſtras uires conſeruat et perficit, ſecund. principium 22. et tunc recto iudicio et plena uoluntate perpetratur ſecund. princip. 32. general. Licet uti omni ueſtimentorum genere, adeoque etiam perſonis, quibus nullum uel animo uel corpori uel fortunis infertur damnum princip. ſpec. 2. licet etiam in perſonis utendis libertatem ſuam conſeruare, principio ſpec. 3. Craſſa igitur (ne quid grauius dicam,) pronunciata illa nuper uox eſt: *Ego quidem nullam hic ſubeſſe uideo cauſſam, quae ſpeciem iuſti, decori, utilis prae ſe ferat, cur ſolemnitas illa anniuerſaria inter Chriſtianos peragatur.* Sed nonne iuſtum eſt decorum et, uti uiribus ſibi a Deo conceſſis, conſeruare eas etiam ac perficere, ſiue animi, ſiue corporis, ſiue fortunae ſint. Taedet nos lucem luci accendere, et quae extra omnem dubitationem poſita ſunt, prolixius probare. Nec noui quicquam, uel ad negotium pertinens adiicitur, ubi pergit: *In perſonatorum Bacchanalibus, Carnaual dictis, ubi pudicis audacia, impudicorum autem ſtultitiae incrementum praeſtatur, et modus, fere, omnibus in rebus, edendo, bibendo, ludendo, ſaltando, exceditur, uel ſaltem excedendi, omnibuſque uitiis et flagitiis ſe inquinandi, campus longe lateque omnibus iis patet, qui capite et corpore perſonati incedunt, nihil quicquam boneſtatis, nihilque iuſtitiae ineſſe intelligitur.* Namque illa audacia pudicorum, ac impudicorum ſtultitia reprimitur in bene ordinatis rebus publicis non tantum generalibus legibus, ſed etiam ſpeciatim de per-

perſonatis tempore Bacchanaliorum latis. Iſtum autem perſonarum uſum, in quo in omnibus fere rebus edendo, bibendo, ſaltando, ludendo excedatur, eſſe iure naturae prohibitum, nemo dubitat, quippe quo animo corpori ac fortunis non poſſunt homines non nocere, uti ex princip. 3. et 4. atque adeo de iſto non diſputatur. Quae deinde adiuncta ſunt, merae ſunt petitiones principii. Maiori ueritatis ſpecie lucet, quod additum eſt: *Chriſtianos decet omnem reprehenſionis notam et ſiniſtram uitare ſuſpicionem.* Verum, quod inde elicitur, ac ſi omnis perſonarum uſus Chriſtiano ſimpliciter interdictus ſit, merito negamus. Etenim de iure naturae hoc loco diſputatur, non uero quid Chriſtianum deceat. Quod cum prorſus non omnem perſonarum uſum damnet, nemo etiam hominum ad illum uitandum ex eo obſtringitur. Chriſtianum uero prouidentiſſimum eſſe debere in rebus indifferentibus, nos ipſi confirmamus, hinc omnis perſonarum uſus, qui ſuſpicionem malitiae habet, fugiendus ei eſt, non tamen omnis generatim. Nec quod Cicero et Plinius in ludis gentilium improbauerunt, id in omni perſonarum uſu Chriſtianorum reprehendendum eſt. Vt reliqua non indagem, quae rhetoricationes magis miſerae ſunt, quam ſolida argumenta praebent.

Qua ratione dictis uti debeamus.

Tandem etiam generatim docendum eſt, qua ratione his omnibus, quae dicta ſunt hactenus, uti debeamus. Praecipuum uero, quod haec doctrina praeſtat, eſt, ut aequitatem in iudicando de alterius uita et moribus obſeruare ſciamus. Cum enim cognitum

gnitum reddiderimus, non facile, quicquam a Deo prohiberi, censendum esse, nisi, quod euidenter malum sit, non statim impius, nefarius, sceleratus, aut Atheus est pronunciandus, qui ista agit, a quo nos ex moribus et consuetudine, forte etiam praeiudicio nostro, maxime abhorremus, nec tamen turpe aut prohibitum esse, liquida ratione ostendere possumus. Vid. supra laudatus *Vayerius*, §. 5. Deinde in ciuili uita saepe accidit, ut qui industria, ingenio, uiribus praestat, et praeter ceteros eminentiam quaerit, ambitionis aut malarum artium accusetur. Hic animaduertendum est, suspiciones istas ex ignorantia et inuidia proficisci. Principis autem et magistratus est, rationem sequi, nec permittere, ut inuidi isti et impotentes animi mentis adeo praestantis uirum, qui tales a Deo animi, corporis aut opum praestantes facultates est consecutus, incessent aut opprimant, cum potius laude et praemiis dignissimis afficiendus esset. Quoniam satis ex superioribus constare potest, omnia homini licita esse, ad quae se eius uires extendunt, nisi, ipsum cuiquam manifesto nocere, doceatur.

CAP.

CAP. IV.

IDQVE IVRIDICVM.

SECT. I.

DE IVRE PERSONARVM.

§. I.

CAuſſa perſonarum, quoad intererat inſtituti, perorata eſt, in eamque cognita ſententiam, ut in laruis nihil ineſſe uitii, culpaeue, intelligi poſſit, ſiquidem intra ſobrium et innocentem conſiſtant uſum, et honeſtatis, iuſtitiaeque, finibus contineantur. Sequitur, ut aequitati morali ciuilis ſuperſtruatur. Qua quidem deſignamus iuſtum magiſtratus, laruarum uſus, feſtiuis temporibus, ubi id moris ſemel tenuit, bene dirigendi et gubernandi temperamentum, adeo, ut, quamuis ex conniuentia eae tolerentur, ſuis tamen cancellis et limitibus prudenter circumſcribantur. *Perſonae iure ciuili*

§. II.

Ac, dum, conniuentibus quidem oculis, ut VLPIANI uerba e *l. 4. §. 1. π. de manumiſſ.* huc quodammodo referamus, non habita ſtricti iuris ratione, ſuperiorem in Republica perſonatos, laruatoſue, ſe- *Conſuetudine Regionis receptae, et plebi*

paratis quibusdam solemnium temporibus, intueri posse, asseueramus, nihil aliud dictum uolumus, quam patientia, quae Valentiniano et Valenti Imperatoribus, pro consensu est, *l. 6. §. 1. C. de postul.* ac quadam ueluti dissimulatione, huius generis consuetudines, quae quidem inueterauerint, a principe indulgendas quidem esse, cum subiectorum animos, spatio, interualloque, negotiis et curis dato, relaxari nonnunquam oporteat: nullo autem modo eo licentiae progrediendum, ut, cum nondum prouinciae cuiusdam a tempore, memoria non comprehendendo, innotuerint personae, gestaeue sint, libere adeo publici iuris reddantur. Impedimento enim est abusus, non leuis metus, quem a uulgi et ima uulgi fece, in his talibus et consimilibus ludicris, uix bene discerni solere, adhuc creditum fuit atque existimatum.

§. III.

Secus, tantum Principi et aulae permissae sunt in conuiuiis.

Aliud futurum, haud difficulter dignoscitur, si soli domino, eiusque aulae et curiae, hae oblectationum ambitiones sartae et tectae seruentur, cum Principes, ob lenimenta, quibus ardua curarum et imperii molestias distingui licet, suo modo melius decere uideantur, nec tam prono adeo sensu in deteriorem partem, et prauam, sinistramque, publici exempli legem, ulterius detorqueri mereantur. Quo pacto adduci non possumus, ut credamus, illud Augusti, Imperatoris, praesertim cum Deastrorum illius aetatis illusio sub hoc quasi inuolucro lateat, epulum in repre-

reprehensionem magnopere incurrere, uulgo δωδεκάθεον nominatum, quod amicis dedisse, apud TRANQVILLVM in eius *uita*, *Cap. LXX.* legitur, in quo, Deorum, Dearumque, habitu exornati, conuiuae discumbebant, et Caesar ipse, Apollinis praecipue ornatu uestitus, conspiciebatur, licet diffiteri non possimus, bonum cetera Principem rationem, conditionemque, illorum temporum prudentius circumspicere potuisse. Acclamabant enim publice, Deos frumentum omne comedisse, cum summa penuria et fames, inter haec, ciuitatem urgeret. Eodem attinet, quod *Lib. XII. cap. 9.* ATHENAEVS refert, Alexandrum illum Magnum, cum lautius solito conuiuia celebraret, nunc Ammonis habitum purpureum et cornua, tanquam Deum, gestasse, nunc in Dianam, aut Herculem, aut Mercurium, mutatis personis, se refinxisse. Quae quidem formae fingendae genera, nisi a fastu, cum diuini honoris affectatione coniuncto, et Alexandro in more posito, uitium fortasse capiant, ob liberiorem certe animi exhilarationem in tanto Principe minus uituperabuntur.

§. IV.

Et exercitationibus iaculatoriis adhibitae.

Quod si frequentissimum, et maioribus nostris tritum maxime, Torneamentorum lusum, quem, uno nomine Torneamen appellatum, idem esse, quod Troianum agmen, DRACO de *Patriciis p. 269. num. 40. seqq.* iuxta cum aliis, opinatus est, contemplemur: dici uix potest, quot, quantisque, occultationum, uel si mauis, delaruationum generibus, una cum masche-

ratis, ut ita dixerim, equis lusores eius campo quondam inerrarint, hodieque diuagentur in illis, quae in illarum locum successerunt, exercitationibus iaculatoriis, uulgo *Caroussel, Kopff - oder Quintan - und Ringel - Rennen*, et sic deinceps. Nihilominus, praeterquam, quod B. noster CARPZOVIVS *P. III. Decis. 296.* a *n. 2.* usque ad *n. 11.* et *Practic. Crim. Part. III. Qu. 134. num. 15.* haec, aliaque huius generis, equestria et militaria certamina ueluti licita, copiosius asseruit ac defendit, ab ipso etiam IVSTINIANO IMP. in *l. 1. et 3. C. de aleator.* modo sine dolo et callidis machinationibus fiant, quasi permittuntur. Ait enim: *Duntaxat autem ludere liceat* μονόβολον, id est, singulari saltu; *liceat item ludere* κοντομονόβολον, hoc est, saltu conto suffulto, κυνταυὸν κόνταxα, seu Quintanum contacem, *et item liceat ludere* (ubi alii secundum DIONYSIVM GOTHOFREDVM in *Annotat. ad d. l.* legunt κατ' ἄμΦω, uel Catampo uel Catabo, quod genus ludi est Festo) χωρὶς τῆς πόρπης, *id est, ludere uibratione Quintiana, absque spiculo siue aculeo aut ferro, a quodam Quinto ita nominata hac lusus specie. Liceat item ludere* περιχύτην, *id est, exerceri lucta: liceat uero etiam exerceri hippice, id est, equorum cursu seu hippodromo absque dolo et circumuentione.* Quo quidem loco accumulare non uacat, quae enarratores ad *has LL.* de hippice, Troia siue Pyrrhica, cui similes sunt τζῦςρα uel τζυςρία, male a nonnullis κιντζῦςρα, dictus. comp. MEVRSIVM, *Glossar. Graecobarb. h. u.* et τόρνε ludi, explicati a NICEPHORO, aliisque pugnis, tam pedestribus, quam equestribus, coaceruarunt. Quamuis autem decreto concilii Lateranensis, quod

quod repetitur in *c. 1. et 2. X. de Torneam. a. 1179.* Romae habiti, eiusmodi certamina penitus interdicantur: tamen ea tantum ibidem uetari, in expedito est, in quibus, per prouocationem, certo non solum corporum, sed etiam animorum, exitio, pugnabatur, ut auctor est CAROLVS SIGONIVS de *Regn. Ital. Lib. XI. p. 273.* Quam ob rem Ioannes XXII. *c. 1. X. de Torneam.* hanc, modo commemoratam, Clementis Pontificis Constitutionem, cum eius rationem partim non satis generalem, partim, ob alias quasdam περιστάσεις, quae ab eo indicantur, nonnihil incommodam, deprehenderet, in quibusdam regnis Torneamenta inhibentem sub poena excommunicationis et *interdicti, a. 1316.* rescidit irritamque fecit, et illos, qui huius occasione in iudicium adducti erant, absoluit. Ecquid tandem sanctiones Pontificum, ut hac in re uerbis utar CARPZOVIANIS, *memorat. Decis. 296. n. 9.* ad nos, quae sane derogare nequeunt legibus Imperatorum? quibus pugilationem artemque athleticam nouimus probatam et suffultam, *l. 4. in pr. π. de his, qui not. infam. l. un. C. de athletis, l. 5. C. quae res pign.* Ne uero cuiquam in mentem ueniat suspicari, ac si nos illorum studiosis ludorum, quorum mentionem fecimus, laruas affinxissemus tantum, praeter ea, quae hodierna et publica fama, *von denen Gesellen - Nationen etc. Ringrennen*, quibus certe peragendis indutae subsint personae, oportet, tot retro uicibus, nos quoque docuit: audiat, quaeso, uerba LIMNAEI, *Tom. I. Addit. Iur. publ. Lib. VI. c. 5. n. 125.* De ueteri quodam apud Maiores nostros hastiludii genere, *Bundwerck*

 dicto,

dicto, quod idem cum illo, in Principis ſui Bibliotheca depicto, coniicit, cui addita inſcriptio, *das Rennen in den alten Pund genannt.* Eodem in libro, repraeſentari, teſtatur haſtiludia alia, nempe, *das alt Teutſch Geſtech, in hohem Zeug, das Teutſch alt Krönlin Geſtech, das alte Geſchift Tartzen Rennen, das Welliſch Rennen in den Armen, das Feldrennen in den ſtehlin Pund, und ſtehling Liger, ein Turnier zu Roß in Schimpf und Ernſt zu gebrauchen, das Rennen mit dem Wulſt, und die Tartzen veſt angezogen, das Geſchift alt Teutſch Scheiben Rennen, das Geſtech, ſo man nennt, im Pain, das alte Rennen in den Scheiben Schweif, und den das Pfannen Rennen.* Ex quibus profecto uerbis iudicari facile poteſt, antiquitus haec talia ludorum genera, laruis adhibitis, exerceri conſueſſe, neque adeo, capite forte et collo ueluti obtorto, tracta ad noſtram memoriam, quae protulimus, uideri. Subiungit autem, quem laudauimus, LIMNAEVS, ſe quidem ex his picturis propriam cuiuſque haſtiludii notam non deprehendiſſe, et quae inter illa fuerit differentia, undeque nominum ſit diuerſitas, antiquitatis quaſi nube tegi. De quibus plura qui uolet, inter multos alios adire poterit IOAN. AQVILAM, de *Omni ludorum genere*, qui, pro inſtituti ratione, ſat diligenter et bene, hoc argumentum explicuit. Quid autem de GEORGII RÜXNERI *Torneamentorum libro*, uulgo *Thurnier-Buch*, ſentiendum ſit, et num ſubleſtae non nihil fidei, idque non ratione ipſorum haſtiludiorum, ſed circumſtantiarum quarundam confictarum, habita,

bita, putari queat, uide, quae de eo ZEILERVS in *Continuat. Itiner. German. I. p. 36.* aliique, ab eo commemorati, item DN. STRVV. in *Differt. de doct. impost. §. 37.* exiftimarunt.

§. V.

Fac uero, fequamur filum uulgo receptum, atque adeo ius Mafcherarum fecundum *perfonas*, *res* et *actiones* exigamus. Primum igitur dicendum eft de perfonis. Vbi ex fuperioribus repetiiffe iuuat, mafcherarum ufum, per fe, fuaue natura, ἀδιάφορον effe, ac, neque rectae rationi, neque diuino illi iuri, quod omnibus eft obferuandum, repugnare, quamuis circa illum uaria contingere foleant, quae uel mala fint, uel malis dent occafionem, atque propterea expediat, ufum illarum uel temperari, uel interdici plane ac prohiberi. Qualem legem in Gallia Francifcus I. tulit, quae tamen paulo poft exoleuit, LANGLAEVS, *Semeft. l. 8. c. 9.* GREGOR. THOLOSANVS, *Syntagm. Jur. Vniu. lib. 39. cap. 11.* Similem in Anglia extare, docet, POLYDORVS VERGILIVS, de *Rer. inuent. l. 5. c. 2.* qua capitale eft, fi quis perfonam induerit, PACICHELLIVS, de *Laruis c. 6. p. 84. feq.* Pari modo in Ducatu Würtembergico Bacchanalia, fub poena carceris, uetita funt his uerbis: *Dieweil auch das Mommen und die Butzen - Kleider, fonderlich die, da fich Frauen in Manns - und Mannen in Frauen - Kleider verftellen, etc. fo verbiethen Wir ernftlich, daß Niemand zu einiger Zeit des Iahres mit verdeckten Angeficht, oder in Butzen - Kleidern gehen foll, bey Straffe des Thurns*

Perfonarum ufus iure prohibendus, fed nifi expreffe prohibitus, licitus effe omnibus intelligitur.

Thurns oder Narren - Häußleins. uid. *Ordin. Prouinc. Würtemberg. tit. 102. von Faßnacht - Küchlein und Butzen-Kleidern. §. 3.* Quod ſi itaque in ciuitate neque mores, neque ius ſcriptum, uſum Maſcherarum prohibeant, permiſſum eundem eſſe, merito cenſeas, arg. *l. 28. §. 2. π. ex quibus cauſ. mai. l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* ubi *Gloſſa* et *DD.* et quidem omnibus, cuius tandem cunque ſtatus ſint et conditionis. Quae enim ex permiſſorum genere ſunt, omnibus licent, niſi fortaſſe prohibita eſſe, doceri poſſint, arg. *l. 43. §. 1. π. de procurat.* ubi *DD.*

§. VI.

uiris in primis,

Quum uero, natura duce, omne hominum genus in mares ac feminas diuidatur, de utriſque ordine nunc erit dicendum. De uiris uero non adeo multum eſt dubii, quibus pro maiori perfectionis ac dignitatis excellentia, multa licent, quae ſexui elegantiori, ob animi fragilitatem, qua plerumque laborat, uel ob pudorem quoque, denegari ſolent, *l. 1. §. 5. π. de poſtuland. l. 2. π. de R. I. l. 8. π. de ſenat.* adeo, ut in multis iuris partibus deterior feminarum, quam uirorum, ſit conditio, *l. 9. π. de ſtat. hom.* Atque, cum maſcherarum uſus ideo maxime receptus ſit uel permiſſus, ut honeſta quadam uoluptate incommoda, quae onera ciuilia, uel domeſtica, ſecum ferunt, mitigentur, onera uero iſta ſexum, praeſertim uirilem, premant, huic potiſſimum uſum perſonarum permiſſum eſſe, nemo dubitabit.

§. VII.

§. VII.

De feminis uero haud immerito dubitatio oriri potest. Namque certissimum est, et nemo facile in dubium uocabit, mascheras quam maximas pudori insidias struere, ac, praecipue sexui imbecilliori, et ad lapsum hunc facili, esse periculosas. *Et feminis nonnunquam*

Quem praestare potest mulier galeata pudorem,
Quae fugit a sexu?

inquit IVVENALIS, *Satyr. 6.* Omnibus itaque modis cum cauendum sit, ne feminae honestae in periculum eiusmodi incidant, uel tale quid admittant, ex quo laesae pudicitiae uel suspicio suboriri queat; arcendae omnino ab his praecipitibus, ex quibus in lasciuiam prolabi possunt, uidentur. Quorsum spectat *Phintyos, filiae Callicratis, Pythagoraei*, apud STOBAEVM, *Serm. 72. pag. 406. seq.* documentum, ut *matres familias abstineant ab Orgiis Bacchi, et a matris Deum sacris:* omniaque illa, quae, pro seruando feminarum pudore, Romana Iuris prudentia, tam solicite, excogitauit. Ad quae inter alia etiam pertinet, quod mulieribus honestis minime licuerit, prodire in scenam, aut artes ludicras exercere. Nam quae talia admittebant, infames habebantur, *l. 44. π. de Rit. Nupt. l. 1. 2. §. ult. π. de his, qui not. infam.* Quoniam tamen non omnino, ex quibus occasionem mala nanciscuntur, uel quae cum abusibus coniuncta sunt, et casu uel fortuito mala fiunt, statim illicita sunt: ideo nec propter malos, re media ad malum utentes finem, boni ab usu illius protinus arcendi, neque ullum aliud interdictum ex-

tat, quod feminas a mascheris plane remoueat; in illisque, ubi in sexu debiliori singulare nihil est constitutum, par utriusque est conditio, *l. 4. C. de liber. praeter.* PRVCKMANNVS, de *Different. utriusque sex.* Alia item ratio est feminarum, quae lucri caussa artem ludicram exercent, quam illarum, quibus de iam est quaestio. Praeterea feminis non inuidendum est honestum uoluptatis genus, qua curas interpellent domesticas ac molestias, quae sexum hunc, prae altero, in procreanda sobole premunt, et ex ciuilibus quoque oneribus in eum redundant, leniant. Itaque concludendum erit, usum mascherarum feminis esse permissum, illasque tam personatas, quam absque mascheris, personatorum coetui interesse, uel has, pro regionis more, admitti posse, modo abusum fugiant, nullumque obstet ius singulare, quod huic sexui terminos finesque ponat.

§. IIX.

Quibus tamen praestaret interdici.

At, cum sine abusu usus is uix esse possit, ex eaque re maximum feminis honestis periculum immineat, quarum pudor, occasione data, facile uim pati, atque adeo ex his illecebris detrimentum capere potest, satius omnino est, omnes feminas lege arceri ab his malorum irritamentis. Romae constitutio habetur, qua non licet mulieribus, capite corporeque personato, incedere. Nam, quae larua uestituque fictitio deprehenditur, meretricis loco habetur, et poenam 300. Scutatorum, aliamque arbitrariam, etiam corporis, pro arbitrio iudicis, incurrit.

rit. Ex quo tamen colligitur, uultum licere perſona tegere matronis, modo ueſtitu ſueto, nec adulterino, utantur. Sapienter ita ſenſiſſe Albertum, Saxoniae Ducem, nemo, ſaniori praeditus mente, negabit, quem, CRANZIVS refert, *Saxoniae Lib. XII. c. 23.* cum Lubecam ueniſſet, perſonatarum feminarum ſpectaculo offenſum, Lubecenſem ſenatum commonefeciſſe, ut abuſum illum antiquaret, qui ut multis, alioqui pudicis, feminis praeſtaret audaciam: ſic impudicis ſtultitiae daret incrementum. Immo honeſtas decet feminas, abſtinere ſponte ſua a maſcheris, ne forſan uerecundia illarum ſub perſona minus ſe contineat, ſed citra perſonam ſe proferat ac oſtendat, ut loquitur LVDOVICVS VIVES de *Femina Chriſtiana.* conf. PACICHELLIVS de *Laruis c. 6. pag. 92.* Cogitent etiam, non omne, quod licet, uel impune fit, honeſtum etiam eſſe, *l. 42. pr. π. de Rit. Nupt.*

§. IX.

In primis teneris uirginibus.

Praeſertim uero caueant, ne teneras adducant filias ad haec ſpectacula, omneſque ſibi dictum putent, quod MARCVS AVRELIVS ad Fauſtinam ſuam dicit apud GVEVARAM, in *Horolog. Princip. Lib. II. c. XI. Haec ideo, mea Fauſtina, dixi, quoniam filiam in theatra adducis, illam in capitolium comitaris, inter gladiatores uerſari, et pantomimis ſpectandis intereſſe, permittis, et, quod indigniſſimum, ipſam aetate ſeſe teneram, te non ualde prouectam, minime cogitando, per uicos urbis ripaſque fluminis diſcurſitatis. Equidem id non uitupero,*

quod, filiam tuam improbam esse, censeam, sed, quod ansam illi, ut minime proba sit, abs te dari, uideo. Crede mihi, Faustina, ad titillationem carnis quod attinet, nec iuuenibus nimis fidendum, neque de senibus bene sperandum: Sed tutissimum in utrisque, ut peccandi occasiones cuncti fugiant. Ideo scilicet uirgines Vestales intra parietes inclusae continentur, ut occasiones, quae in plateis offeruntur, uitent. Non, ut stolidiores, secessum amant, sed, ut prudentiores, congressum fugiunt.

§. X.

Viduis et grauidis;

Ac uiduae si quando factae sunt, quam minime eas decet his uoluptatibus indulgere. GVEVARA, *Lib. III. cap. 40. seq.* Praesertim autem grauidae feminae, principes maxime, et summo natae loco, hoc sibi dictum putent, ne fortasse ex insuetarum formarum aspectu, uel ex alio his in turbis euentu, sibi ipsis malum contrahant, uel, si proprio non moueantur periculo, foetus, quem in utero gerunt, salus periclitetur, atque, uel abortus procuretur, uel monstrosi aliquid partui concilietur. Etenim, quo pretiosior est liquor, et uas, quo continetur, fragilius et tenerius, eo sane maior est periculi, ne confringatur, metus. Cum igitur grauidae natura nihil fragilius, et infantuli anima nihil sit pretiosius, longe maxima opus esse cura, quis non uidet? GVEVARA, *Horol. Princ. L. II. c. 14. pag. 271.* ubi plura in hoc argumentum legi possunt, et *c. 17. p. 283.* ubi de choreis, saltationibus et cursibus, pauore repentino, turbaque conferta, uitandis, agit.

§. XI.

§. XI.

Addunt nonnulli his aliud hominum genus, ad quod hermaphroditos referunt, qui uero non tam nouum constituunt sexum, quam ad utrumque inclinant et accedunt. Quicunque itaque in his sexuum praeualent, ad hunc referendi sunt, atque adeo, uel pro maribus, uel pro feminis, habendi, *l. 10. π. de stat. homin.* et istius sexus, quem maxime produnt, iure in mascherarum usu, haud immerito utuntur. Vtrum ἀνδρόγυνοι, utrumque sexum perfecte qui sistant, dentur, dubium est, cum eiusmodi hominis exemplum uix queat produci. Compar. DN. PAR. *Oeconomia I. lib. I. tit. 2. §. 3. p. 44.* Si tamen talis unquam homo reperiatur, rectae rationi non adeo repugnare, eum, quem duplici natura bono ditauit, utroque uti posse, uidetur. At, quum promiscuo hoc usu alii facile offendi et irritari possint, magistratui, ut unum eligat, nec, electo uno, alterum praeferat sexum, sedulo curandum, SANCHEZ. de *Matrim. Lib. 7. Disput. 106. n. 2.* HAHNIVS, ad *tit. de stat. hom. n. 5.* Quibus compositis, mascheris eiusmodi hominem uti posse, ita, ut sexus, quem elegit, rationem habeat, nemo dubitabit. *Hermaphroditus pro sexu iudicetur.*

§. XII.

Aliud hominum discrimen natura suggerit, quo in natos, et nascendos, dispescuntur. Qui in uentre adhuc feruntur, et nondum in rebus humanis sunt, *l. 10. §. 1. π. de uulg. et pupill. substitut.* per rerum natu- *Nascendi a personis non uiolandi.*

ram, mascheris non possunt uti. Est tamen etiam illorum in hoc argumento habenda quaedam ratio, ita scilicet, ut, quod antea diximus, matres, quae uterum gerunt, a coetu abstineant laruatorum, ne fortasse ex aspectu et terrore foetui fraus fiat, et calamitate abortus obruantur, arg. *l. 2. π. de mort. infer. l. 18. π. de stat. homin.* Cauere etiam debent personati, ne in praegnantes incidant mulierculas, uel aliquid, quo futura spes prolis extingui, uel malum foetui inferri queat, moliantur. Natos autem mascheris uti posse, quis dubitaret? quod nisi permitteretur, personis animi, corporisque, labores mortalium minueret nemo ac leuaret.

§. XIII.

Impuberes et senes ab iis arcendi.

Aetatis ratione homines docentur esse impuberes alii, alii puberes; quorum isti uel ad infantiam, uel pubertatem, magis accedunt; hi uero imperfectae alii aetatis, quos minores; alii perfectae sunt, quos, quinque et uiginti et in Saxonia unum et uiginti, annos natos, maiores uocamus, de quibus omnibus *DD.* passim ad *tit. de minor.* consulantur, et, qui legatur, maxime dignus est HOPPIVS, ad *pr. I. de auctor. tut.* De infantibus tantum non frustra laboratur. Quum enim perexiguum et fere nullum intellectus habeant usum, et delectatione, quam perfectae aetatis homines ex mascheris capiunt, minime moueantur, parum etiam rem istam, immo nulli curabunt. Neque tamen negare ausim, dari nonnullos, qui mature sapiant, atque in tenella aetate his

rebus

rebus delectentur. Perſonas ſumere his hominibus non licere, dici nequit, dum de eiuſmodi infantibus, infantiae uel pubertati proximis, interdictum ſpeciatim proferatur. Veruntamen, ſatius eſſe, nemo negabit, ab his rebus aetatem teneram arceri. Namque facile corrumpi poſſunt tales, et, adulta licet aetate, ſatis tamen cito, uanitatibus aſſueſcunt. Conf. MANZIVS, *Deciſ. Palatin. qu. 50. num. 41.* Senes ipſa aetas, ſi nulla lex, auocat a maſcherarum uſu. Etenim uerecundos facit ſenectus, quam eiuſmodi ludorum taedium cepit. Veniunt dies, et appropinquant anni, quos ſibi non placere, aetate graues profitentur, ECCLES. *XII. u. 1.* qui ergo placere poſſent id generis uoluptates? Nequaquam interim inficior, dari etiam homines, quos nec decrepita aetas a uoluptatibus deducit. Quem, quaeſo, fugit, Alexander VI. Romanus Pontifex, cuius propenſiſſimum, in ſpectacula uidenda, animum, cum alia rerum monimenta, tum BVRCHARDI hiſtoria arcana, quam illuſtris LEIBNIZIVS luci publicae dedit, ſatis teſtantur. At uero praeſtaret, eiuſmodi homines praeſentem ante oculos habere mortem, atque ad aliam ſeſe uitam praeparare, quam ridiculis intereſſe tumultibus perſonatorum, quas in ſenum uoluptates, eoſque, qui, in ueſtitu, leuitate iuuenili, rapiuntur, grauiſſime inuehitur GVEVARA, *Horolog. Princip. Lib. III. c. 24.*

§. XIV.

Romano iure, pro diuerſa homines libertate *Serui non illepide perſonas geſtant.*

te diuiduntur in liberos et ſeruos, quorum omnium conditio ſatis nota eſt, nec adeo opus, ut hac in re ſimus multi. Illud omnino dicendum eſt, neque legem extare, quae ſeruos retrahat a maſcherarum uſu, neque pro ipſa rei natura eſſe arcendos, quum non minimam iucunditatis ſpeciem habeat, ſi impares dignitate ac inaequales tantiſper inter ſe commiſceantur, dominuſque perſonam ſerui, ſeruus uero domini, ſumat, PACICHELLIVS, de *Laruis*, *cap. 8. pag. 120.* et *inſequent.* Ita ſerui ab his ludis non repelluntur, quos Romanorum iure exercebant, Romanoſque ueteres ad ludos accerſiuiſſe, notum eſt, utpote quibus Saturnalia, dominorum habitu, celebrare quondam licuiſſe, DION. CASSIVS ſcribit *Lib. LX. pag. 677.* et ATHENAEVS. *Lib. XIV. cap. 10.* Quid igitur eſſet, quod Noſtrates hodie famuli, quorum conducta opera utimur, liberi alioquin homines qui ſunt, arcendi ueniant, homineſque proprii? ſi modo id agant, ut, immodeſtia uel nimia turba, aliis ne graues ſint, atque moleſtiam creent illis, qui honeſte laetantur. Quae capienda eſſe, quilibet intelligit, de ea libertate, quam domini arbitrium ſeruis permittit. Modum enim ſic ubi excedant, caſtigatione ad officium procul dubio poterunt reduci, *DD.* ad *l. un. C. de emend. ſeru.*

§. XV.

Seruus laruatus a domino laruato manumitti poteſt.

Quod ſi quis hac occaſione quaereret, an, in eiuſmodi laetitiarum ſolemnitate, ſeruus laruatus a domino perſonato, amicis praeſentibus, manu poſ-

ſit

ſit mitti? illud affirmare non dubitarim, quandoquidem ex §. *2. I. de libertin.* conſtat, ſeruos quocunque tempore a domino manu poſſe mitti. Quod ita tamen temperandum eſt, ut perſonae ipſae, manumittens et manumittendus, nec non et teſtes, qui aduocantur, cognoſci poſſint, atque adeo certi de animo et facto eſſe queamus. Neque aliud dicendum uidetur, ſi quaeſtio inſtituatur de manumiſſione uindicta, an ſcilicet, praeſente praetore, uel praeſide perſonato, a laruatis, uel aliis, fieri poſſit manumiſſio. Nam, ſi quocunque in loco actionibus, quas uoluntariae iuriſdictionis uocamus, et quocunque tempore, defungi poſſumus, *l. 2. π. de offic. Proconſ.* Si in tranſitu manu ſerui mitti poſſunt, ueluti: quum Praetor, aut Praeſes, aut Proconſul, in balneum, uel in theatrum, eant, *l. 7. π. de manumiſſ. uindict. dict. §. 2. I. de libertin.* quidni et inter perſonatorum coetus, aperta tantummodo facie, id fieret? Sed uix eſt, ut aſſentiar. Namque, ut taceam, uerba illa non ſic capienda, ac ſi uel in platea, uel balneo, uel theatro, manumiſſio coram Praetore fieri potuiſſet, ſed ciuili intelligenda eſſe modo, minime nimirum neceſſe eſſe, coram Tribunali actio haec ut fiat, ſed et extra locum iſtum, priuatis in aedibus, non minus legitime miniſtrari, Hoppivs, ad *§. 2. I. de libertin.* parum ſane conueniens maieſtati praetoris eſſe, arbitror, inter iocos et ludos ſeria agere, atque uoluntariam iuriſdictionem exercere. Contemtionem, quam imprudentia haec parit, magiſtratus, qui ſapit, cauet, *l. 19. π. de offic. Praeſ.* Ecquis enim non rideret, Praeſi-

dem uel Praetorem, persona, saepenumero ridicula, indutum, seuerum magistratus uultum ostendere uelle? Ac, licet forte parum apta haec sint, non tamen prohibita statim ac nulla dixeris: interdicta nihilominus censentur, tacite saltem, quae magistratus minuunt auctoritatem ac laedunt, quando inter iocos gesta, pro re, publica auctoritate facta, ab emunctioris naris uiro, haberi nequeunt.

§. XVI.

Filius patris uoluntate personis utatur.

Paternam potestatem si respicias, homines alios sui, alterius alios iuris esse, deprehendes, h. e. patriae potestati subiectos quosdam, quosdam minus. Vtrosque animos, labore fessos, uoluptate hac reficere posse, arbitramur, dum interdictum adducatur, quod ab ea quos excludat. Propterea tamen, quod filii subsunt imperio patris domestico, personis uti prius aliterque non possunt, quam patris uoluntas id permittat, GROTIVS, de *I. B. et P. lib. II. cap. 5. §. 2.* PVFENDORFIVS, de *I. N. et G. Lib. VI. cap. 2. §. 7. seq.* Atque hanc ob caussam nullum quoque est dubium, quin pater, si quando sese filius, uel filia, personatorum coetibus, ipso inuito, adiungant, pro re nata modice liberos castigare queat, arg. *l. un. C. de emend. propinq.* aut, si haec castigatio minus sufficiat, liberos immorigeros iudici puniendos offerre, *l. 3. C. de patr. potest.* Etsi enim hi coetus publice habeantur, ac publice quoque permittantur: in publicis uero caussis filius pro patrefamilias habeatur, *l. 9. π. de his, qui sui uel alien. iuris.* sciendum tamen est, publicam caussam

in

in *dict. Lege* talem intelligi, quae ſtatum publicum, publicamue utilitatem, uel ipſa ſpectat, uel per alia promouet aut impedit, qualis haec, de qua in praeſenti agimus, neutiquam dici poteſt.

§. XVII.

Excipit hanc tertia hominum diuiſio, quae ciuitatis iure nititur, qua ſcilicet homines abeunt in ciues et peregrinos. Peregrini autem, ſenſu Romani iuris, dicuntur, qui ciues non ſunt, ſiue nunquam ciues fuerint, ſiue ciuitatem Romanam amiſerint: ſiue alterius ciuitatis ſint, ſiue nullius. DVARENVS, *Diſp. anniuerſ. Lib. I. cap. 9. pag. 19.* qua de re pluribus ac liberalius agit SCHILTERVS, *Diſſert. de Iur. Peregrin. §. 9.* qui et in ſequentibus exponit, quo modo hodie peregrini apud nos Germanos primo dicantur, qui ex aliis regni finibus ad nos ueniunt, imperioque noſtro non ſunt ſubiecti. Deinde, qui, licet imperii Romani ſint ſubditi: non tamen ex eadem nobiſcum prouincia, et eiuſdem terrae domino ſubiecti; et denique, qui, cum ſint eiuſdem prouinciae: non tamen eiuſdem municipii, aut oppidi, ciues. Comp. DN. PAR. *Oecon. Iur. lib. I. tit. 2. §. 9. pag. 56.* Quo uero cunque nomine ueniant peregrini, nulla lege, nec in Italia, nec Gallia, nec Germania, ubi quidem ſolemnia Bacchanaliorum locum habent, peregrinos uidemus excluſos, quin et lubentiſſime ad haec inuitantur gaudia, et ſaepenumero illorum gratia inſtituuntur. Neque etiam ab his gaudiis legati exterorum, miniſtrique publici, cuiuſcunque

Peregrinus et legatus perſonas gerant.

ſint dignitatis ac ordinis, excluduntur, quorum dominorum ſaepe intereſt, ut his principum, ad quos miſſi ſunt, delectamentis interſint, in quibus nonnunquam occaſionem aucupari queunt, cauſſam domini ex uoto gerendi. Quo tamen loco prudentis miniſtri eſt, ſcite cauere, ne quid contra dignitatem faſtigii, quod ſuſtinet, admittat, aut turpiter ſe det, ſuumque dominum riſui hominum exponat, aut occaſionem det ſimultatibus, ex quibus contentiones, et alia incommoda, naſcantur. Sane RICCIVLLVS in *Tr. de Perſonis, quae in ſtatu reprobo uerſantur, Lib. VI. cap. 4.* monet, ut miniſtri publici, ob decus et gradus maieſtatem, hos coetus frequentare, deprecentur, PACICHELLIVS, de *Laruis, cap. 7. pag. 100.* Conf. de eadem Legati prudentia ALBERICVS GENTILIS, de *Legationib. Lib. III.*

§. XIIX.

Inter ciues clericis prohibentur.

Ciues, ciuitatis iura qui participant, nec aliter, ac peregrini, ſuum nomen, uariis ciuitatem titulis tuentur, illis in locis, ubi haec gaudia in morem abierunt, procul dubio his frui poſſunt. Namque in horum uſum, publica ut leniant incommoda, eiuſmodi res admitti ſolent. Propterea uero, quod, qui in eadem uiuunt ciuitate, hodie ex iure Canonico in clericos et laicos diuiduntur, qua de diſtinctione ZIEGLERVS ad LANCELOTTVM, *Lib. I. tit. 4.* uidendus eſt, de utriſque hoc erit loco dicendum. Ad clericos quod attinet, hos, quod diuinis officiis mancipati ſunt, ab omni ſtrepitu alienos eſſe, decet. Qui ſi prae-

praetulerint uitam honestam, et nullo reprehendendam modo, quam Apostoli monita postulant. *1. Tim. III. 2. Tit. I. 7. 8.* populumque decenti industria instruxerint, ut is, ad illorum hominum honestatem respiciens, multis peccatis abstineat, fore, certum est, ut aeterna hominum salus rectius se habeat, et facile nobis tribuatur a maximo Deo, et Saluatore nostro, Iesu Christo, clementia conueniens, ut ait IVSTINIANVS, in *l. 34. pr. C. de Episcop. audient.* Quam ob caussam IVSTINIANVS eadem lege prohibuit, ne clerici cubos siue tesseras contrectent, nec his ludentes spectent, nec manus, oculos et aures prohibitis ludis polluant, alios ad ea ludicra inuitent, aut scenicorum uel thymelitarum spectatores fiant ludorum, aut, quae in theatris certantium ferarum fiunt, pugnarum. Quale interdictum etiam extat in *Nou. 123. cap. 10. Auth. Interdicimus C. de Episcop. et Cleric.* quod factum est ante IVSTINIANVM ab HONORIO et THEODOSIO Imperatoribus, in *l. 17. C. de Episc. et Cleric.* quae est *l. 42. C. Theodosian. de Episc. Eccles. et Cleric.* ubi IACOBVS GOTHOFREDVS et de aleae interdicto sigillatim agit. *Nou. Leon. 87.* Apud ISIODORVM de *Eccles. Officiis Lib. II. c. 2. pag. 596.* haec leguntur, quae GRATIANVS decreto inseruit *C. His igitur 3. d. 23.* *His igitur Lege Patrum cauetur, ut, a uulgari uita seclusi, a mundi uoluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis, intersint. etc. non uagis oculis, non effraeni lingua, aut petulanti, fluidoque gestu, incedant, sed pudorem et uerecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendant etc. uiduarum ac uirginum frequentationem fugiant.* Idem GRATIANVS *ex Concilio Nannetensi*

tensi c. Nullus 7. d. 44. haec addit. *Nullus presbyterorum etc. nec plausus, et risus inconditos, et fabulas inanes, ibi referre, aut cantare, praesumat, aut turpia ioca, uel urso, uel tornatricibus, ante se fieri, patiatur, nec laruas daemonum, quas uulgo,* (ut BVRCHARDVS ait,) *Talamascas dicunt, ante se ferri, consentiat, quia hoc diabolicum est, et a sacris canonibus prohibitum.* Immo adeo horrent sacra iura laruarum insaniam, ut uelint, clericum assidentem conuiuiis, superueniente histrione, de mensa potius surgere, et abire, debere, quam eius motus ac gestus uidere, aut ipsum audire, ita *Concilium Toletanum III. in Canon. 2. Irreligiosa de consecrat. distinct. 3.* Cui textus, notatu dignus, iungendus ex *cap. 1. X. Ne Clerici uel Monachi*, ubi inter uitia seculi, et carnis concupiscentiam, refertur: *Turpis uerbi, uel facti, esse ioculatorem, uel iocum secularem diligere, aleas amare, ornamentum inconueniens proposito suo quaerere, in deliciis uiuere uelle etc. canes et aues sequi ad uenandum, et omnibus quibuslibet caussis superfluis interesse. Ecce talia*, dicitur ibidem, *et his similia, ministris altaris domini, nec non et Monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus.* Quorsum etiam pertinet INNOCENTII III. Constitutio in *c. 15. X. de uita et honestate clericorum: Clerici mimis, ioculatoribus, et histrionibus, non intendant. Ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate, uel longitudine, non notanda. Pannis rubeis aut uiridibus, nec non manicis aut sotularibus consutitiis, fraenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut*

aliam

aliam ſuperfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam non gerant, ſed nec alibi, qui ſunt in ſacerdotio et perſonatibus conſtituti, niſi iuſta cauſſa timoris exegerit, habitum tranſſformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri uel argenti ornatum habentes, ſed nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem, in publico, et in eccleſia, ſuperindumentis lineis omnes utantur, niſi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, ſed uel poſt collum, uel ante pectus, hinc inde connexis. Quae omnia repetuntur cum in *Formula Reformationis*, per CAROLVM V. in Comitiis Auguſtanis 1548. Ordinibus Imperii ſacris propoſita *Cap. XVII. de diſciplina cleri*, tum in *Concilio Tridentino*, *Seſſ. 22. c. 21.* Ex quibus omnibus ſatis abundeque apparet, utroque iure, tam Canonico, quam Ciuili, pariter ac Diuino, clericis, ſi non diſerte, per bonam tamen ſatis conſecutionem, uſum maſcherarum eſſe prohibitum. Quod ſi enim clericus omnem reprehenſionis notam uitare atque ſiniſtram ſuſpicionem debet: quod ſi ludis, choreis, coenis, ſpectaculis abſtinere: quod ſi, niſi ueſtitu decenti et ordini conuenienti, incedere non licitum: quis uellet dubitare, clericum excludi ab eiuſmodi iocis luſibuſque maſcherarum? Immo, ne monſtris laruarum in ſolemnitatibus clerici utantur, ſatis diſerte prohibet Idem INNOCENTIVS III. in *c. 12. X. de Vita et honeſtate clericorum.* Atque inde recte concludunt ZABARELLA, in *Clement. 2. qu. 3. de uita et honeſtate cleric.* BARBOSA, ad *Canon. Nullus 7. diſt. 44.* clericis prorſus interdi-

terdi-

terdictas esse laruas, nec personatos illos incedere posse. Idemque sentiunt LAMBERTINVS, de *Iure pat. 2. 2. qu. 26. 5.* BELLETTVS, *Disquis. Cleric. p. 1. tit. de Disciplina Clericor. §. 23. n. 7.* et P. GABRIEL A S. VINCENT. *Consil. seu Respons. Moral. Resp. 76. n. 1.* Porro clericos, multoque magis regularem professos uitam, ioculatores atque in scenam, pretii quaestusue caussa, prodeuntes, itemque arti assuetos, infames habendos esse, secundum FRVCTVOSVM tradit PACICHELLIVS, de *Laruis, cap. 6. pag. 89.* Atque P. GABRIEL A S. VINCENT. *Consil. seu Respons. Var. Resp. 73. n. 3.* concludit, quod Episcopus ac Sacrorum antistes nullo modo licentiam dare ualeat laruis se tegendi, cum per se malum sit, et clericorum ac religiosorum statu indignum: item, quod religiosi, obambulantes personati, grauissime Deum offendant, et incidant in deuotionem, propterea, quod dimittant habitum, PACICHELLIVS, *d. l.*

§. XIX.

Secus in terris Pontifici R. addictis.

Quamuis autem leges adeo salutares suppetant, atque adeo ipsi religioni hac ratione nihil detrahatur, tamen omnis, qui in terris, Romanum Pontificem Ecclesiarum caput uenerantibus, Italia praesertim et Gallia, uersatus est, uel cum uenientibus ex regionibus istis collocutus, satis nouit, ista omnia ibidem parum curari, clericosque ad unum fere omnes nihil minus cogitare, quam ut regulas istas obseruent. Qua de re olim iam questus PHILIBERTVS BVGNONIVS, de *Legibus abrog. Lib. 2. Sect. 25.* et

quis,

quis, ipſos Romanos Praeſules interdum his deliciis non uſos eſſe, ſponderet? Sane de ALEXANDRO VI. qui una cum filiis, filiaque, turpiſſimos nudarum meretricum luſus auidiſſime uidit, nemo dubitabit. Sic, FARNESIVM, Patrem purpuratum, cum FERDINANDI Imperatoris legatos hilarius excipere uellet, laruatum inceſſiſſe, SALOMON GESNERVS, in *Oratione de Perſonis ſiue Laruis etc.* refert, quod non pudet eundem PACICHELLIVM, de *Laruis, cap. 5. pag. 64.* repetere, ſufficere ratum, ſi modo, poſt Martis ueſperas, Bacchanalibus, ne exemplo ſuo offendant alios, ualedicant purpurati, aliique aulici Romani. Quamuis uero non negandum ſit, hodie Romanos Pontifices ſeueriorem prae ſe ferre diſciplinam, cautiuſque atque ita agere, ne uoluptates ſequi probareque uideantur: Purpuratorum tamen, Epiſcoporum, aliorumque, uitam maſcherarum deliciis diſtingui ſaepenumero, norunt omnes, qui Romanam aulam frequentarunt, nec diſſimulat PACICHELLIVS, de *Laru. cap. 8. pag. 125. in fin.* Neque etiam deſunt Doctores, qui hanc rem laudent, atque, dum intelligunt, IVSTINIANVM maſcheras Epiſcopis et clericis denegaſſe in *l. 34. C. de Epiſc. audient.* ipſum grauiſſimi peccati reum agant. Eo dementiae abrepti ſunt Summiſtae, praeſertim CAIETANVS, uerbo: *Laruae.* VIVALDVS, *cap. 13.* uid. PACICHELLIVM, *cap. 7. pag. 99.* Conſuetudinem hi probant, quae in Lombardia eſſe dicitur, qua, tempore carniſpriuii, quod dicunt, clerici incedere queunt perſonati. Ceſſare enim, aiunt, eo caſu ſuſpicionem, quod populus of-

 fendi

ſendi exemplo poſſit, excipiunt tamen ſacerdotes et conſtitutos in maioribus, PACICHELLIVS, *d. l. pag. 99.* Alii rem admodum extenuant, ad minuendum peccatum, ſi debitis cum circumſtantiis clerici Bacchanaliorum tempore incedant maſcherati, ut ita loquar, P. VIDALIVS, in *Arca Theologiae Moralis, de Statu Eccleſ. Inquiſ. 1. n. 18.* quam ad unius horae ſpatium in puncto laruarum et ludi citra peccatum pro ipſis reſtringunt P. VINCENT. CANDIDO, *Tom. 2. Diſp. Moral. 26. 13. 13.* NARBONA, in *Horograph. Iuris, hor. 1. n. 76.* aliter tamen ſentientes de regularibus, quibus ſub cenſuris laruarum uſus interdicitur *cap. 2. Ne clerici uel monachi in 6to.* Immo, monialibus maſcheras quoque indulgendas eſſe, ablatis uirorum ueſtibus et armis, ſed intra tamen ſepta monaſterii, cenſuit *Sacra Congregatio V. Calend. Maii ann. 1604.* quod RICCIVLLVS *d. l.* refert *Lib. 6. c. 4.* Quin et, conſtitutione Romana, religioſis regularibus tantummodo maſcherarum uſus eſt interdictus. Ex quo id concludere poſſumus, reliquis eum clericis eſſe permiſſum, arg. *l. 12. π. de Iudic.* aut, ſi fortaſſe, correctionem iuris communis non coniiciendam eſſe temere, aut tali argumentatione eliciendam, dixeris; non adeo multum ſaltem curari Romae, utrum alii clerici maſcherati incedant, an minus. Reperiuntur uero inter illos ipſos, quibus ſaniora placent. Ex quibus ICtum, pietate ſingulari celebrem, CASPAREM MANZIVM in primis laudo, qui in *Deciſ. Palatin. quaeſt. 50. num. 42.* *Indigne*, inquit, *aliquando tuli, quando ſpectatorem harum ineptiarum uidi ſacerdotem, ridentem et dicentem: plane iſti*

ſe

ſe ita gerunt, uti uulgo pinguntur. Melius dixiſſet: ita inſaniunt et uitulantur, ut a diabolo inſtigantur, etiam propria malitia animantur, ut a Sanctis patribus reprehenduntur, ut a probis et prudentibus deſpiciuntur, ut a Deo ſeuere quondam iudicabuntur.

§. XX.

Inter Proteſtantes rarior eſt maſcherarum uſus. *Non in Proteſtantium ditionibus.* Quod ſi tamen in aulis Euangelicorum Principum haec gaudia admittantur, haud facile noſtris clericis et uerbi diuini miniſtris iure dedecus hoc poterit obiici, quod perſonati incedant, uel inter laruatos deprehendantur. Optime enim intelligunt, quid deceat uenerandum hunc ordinem, quantumque ſuo quiſque exemplo proficiat uel noceat, atque quam plurima eſſe, quae, quamuis nec laudem, nec reprehenſionem, mereantur, non tamen expediant, ſi uerbi diuini praecones illis utantur. Quod uel maxime uſu uenit, ſi talia ſint, ex quibus malum, uel mali ſaltem ſuſpicio, uel deterior hominum uita, oriri poteſt. Qualia haec eſſe mundi gaudia, nemo facile negabit. A quibus, ſatius eſt, auocari auditores, quam, auide illa ſectando, iiſdem exemplo ſuo praeire, licet interdictum, quod clericos ſpectet, extaret nullum. Quod ſi tamen et inter Euangelicos ſacerdos deprehenderetur, ſui adeo oblitus, ut minime dubitaret, uanis his ſeſe immiſcere, nae is dignus eſſet, qui deiiceretur gradu, ac a ſacris Eccleſiae miniſteriis repelleretur.

§. XXI.

Huc non referendi Professores et Doctores, nisi clerici simul sint.

Cum clericis affinitatem quandam habent Professores, et alii Doctores in Academiis promoti, ita, ut a nonnullis quasi clericorum ordini adscribantur. Conringivs, *Antiq. Acad. Supplem. 67. pag. 364.* in cuius rei ueritatem inquirit Ittervs, de *Grad. Academ. cap. 5. th. 7.* Etsi uero non desint huic sententiae argumenta, ac Professores uel Doctores multis clericorum priuilegiis fruantur, atque, exemplo clericorum, a Principe non tuizentur, ut loquuntur, sed uossitentur, tituloque *dominorum* ornentur: etsi etiam, corpora Academica Praelatis siue ordinibus sacris accenseri, uideamus, attamen, accurate loquendo, omnes ac singulos Professores et Doctores clericos, h. e. diuinis ministeriis mancipatos esse, affirmari nequit, Ittervs, *d. l.* Dn. ab Eyben, *Elect. Iur. Feud. cap. 9. §. 13.* Atque adeo iura illa prohibentia, quae de clericis agunt, ac supra sunt recensita, ad eosdem nequeunt applicari. Interim non improbanda sunt, quae de illis Pacichellivs, *cap. 7. pag. 100.* de *Laruis*, scribit: *Doctores ac Praelatos modeste ac temperanter in Aula Ferrariensi laruis usos, testatur* Torqvatvs Tassvs, *in Dialogo, inscripto il Gianluca, imitationem uirorum fama praestantium commendans, uulgato satis* Platonis *exemplo.* Itaque licet nulla lex arceat: satius tamen est, eiusmodi homines, qui grauitate iuuentuti exemplo esse debent, in scholis praesertim, his rebus abstinere. Quod si uero Doctores illi clerici, accurate sic dicti, simul sint, nullum dubium, eos ab his gaudiis arceri.

§. XXII.

Nec eorum discipuli.

Doctoribus ſtudioſos et diſcipulos iungimus, qui eadem ratione ad clericos referri ſolent, ac iſti. His quidem, ſi in tali loco degant, ubi feſti Bacchanaliorum dies celebrantur, uel alias maſcheras induere ſuetum eſt, et nulla lex eos ſpeciatim arceat, non denegatum, exiſtimo, ſtudia his interpellare rebus, et animum recreare iuuenilem. At, ubi eiuſmodi ſolemnia recepta non ſunt, in Academiis praeſertim, haud permittendum ipſis eſt, ut laruas et perſonas induant, ob abuſum et incommoda, quae ex his rebus, illis praeſertim in locis, ubi deſunt media coercendi temeritatem iuuenilem, naſci poſſunt. In Patauina Academia nimium indulgeri ſtudioſis hac in parte libertatis, Itali ipſi conqueruntur, RICCOBONVS, de *Gymnaſio Patauino, lib. 6. c. 13.* cum BORELLO, de *Magiſtrat. l. 3. c. 9. et ſeqq.* PACICHELLIVS, de *Laruis, cap. 3. pag. 47.* In noſtris Academiis hac de re ſequens lex eſt: *Bacchanalia et perſonatas pompas in paganorum morem celebrare, ſub relegationis poena uetitum eſto.* Sic cum Vitembergae An. 1708. duo Studioſi, I. T. D. O. et N. N. L. hyberno tempore traha ſe uehendos curarent, quorum prior, collari, nigra ueſte, breuique pallio indutus, Diogenis, alter morionis, perſonam ſumſiſſet, uix multis precibus atque excuſationibus impetrarunt, ut urbe excedere non cogerentur, ac primum beneficiis excluderentur, mox carcere, tandem mulcta, punirentur, uti acta iudicii, illo anno conſcripta, teſtantur.

§. XXIII.

Nec Imperatores, Reges ac Principes utantur, nisi raro.

Inter laicos caput extollens Imperator, Reges, aliique Principes et Magiſtratus, qui uel ſummam in republica poteſtatem, uel ſubalternam, exercent, et uariis honorum gradibus diſtinguuntur. Hos uero, ſi PETRVM GREGORIVM THOLOSANVM, *Syntagm. Iur. Vniuerſ. lib. 39. cap. XI. num. 5.* audias, a maſcherarum uſu plane alienos eſſe debere, concludendum foret. Ita enim ſcribit *dict. loc. Vocant Galli noſtri perſonas has maſcas et momos, quae nomina uſque adeo horrida ſunt et pernicioſa, ut mirer, cur illi, qui ſe inter alios alicuius eſſe pretii, honoris et dignitatis, iactitant et arbitrantur, uelint has induere.* Sane decet principes uiros, et qui aliis praeſunt, circa res magnas uerſari ac egregias, quae inſignem prae ſe ferunt uirtutem, non res ludicras, inanes aut tales, quae uiliſſimis hominibus propriae. Ita enim non ſolum auctoritatem ſeruabunt ſibi illaeſam, uerum etiam ſuo ſolum exemplo plus efficient, quam multis legibus. Quales enim in republica Principes ſunt, tales et reliqui homines eſſe ſolent, ita, ut, ſi Principes boni ſint, ciues etiam hos mores aemulentur; Sin mali, meliora ſperari de ſubditis haud poſſint. Elegans eſt locus apud CICERONEM, *lib. 3. de Legibus. Ego autem, nobilium uita uictuque mutato, mores mutari ciuitatum, puto. Quo pernicioſius de republica merentur uitioſi principes, quod non ſolum uitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem. Neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, pluſque exemplo, quam peccato, nocent, etc.* Et paulo

paulo ante: *Nec enim tantum mali est, peccare principes, (quanquam est magnum hoc per se ipsum malum,) quantum illud, quod permulti imitatores Principum existunt. Nam licet uidere, si uelis replicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis uiri fuerunt, talem ciuitatem fuisse, quaecunque mutatio morum in Principibus exstiterit, eandem in populo secuturam:* Et iterum: *Vt enim cupiditatibus Principum et uitiis infici solet tota ciuitas, sic emendari et corrigi continentia.* Et sane:

Regis ad exemplum, totus componitur orbis, CLAVDIANVS, *quarto consul. Honor. uers. 299.* De quo argumento multa egregia congessit apud LIPSIVM, *Polit. Lib. 2. c. 9.* DN. REINHARDVS. Ex quibus omnibus facile uideas, praeclare optimeque bonos agere Principes ac summos uiros, si, nulla licet lege cogantur, sponte abstineant ab his deliciis, eoque ipso reliquos, quibus praesunt, ab illis abstrahant, atque adeo uarios abusus, uariaque mala, quae his ex rebus sequi solent, exemplo suo impediant ac praeuertant. Puduit praeclaros sane uiros, NERONIS aeui spectaculis seruire, ideoque personati accesserunt. Sed iubebat Caesar deponere personas, et sic, inter histrionum apparatus, illos detegebat hominibus, apud quos ipsi paulo ante gesserant Magistratum, omniumque ludibrio exponebat. XIPHILINVS, *Epitom. Dionis in Nerone.* Propterea tamen, quod Principes non semper in rebus magnis uersari possunt, sed opus est animi quadam remissione, qua summas pro republica curas temperent, atque alacriores postea ad res arduas perficiendas accedant; non inuiden-

dum

dum iis eſt, ſi, animi curandi cauſſa, his interdum ludis uacent cum aliis ipſi. Quod et maximos optimoſque nonnunquam feciſſe Principes, atque ex rebus leuibus aliis quaeſiuiſſe delectationem, notum eſt, atque *exemplo* AVGVSTI apud SVETONIVM *cap. 83.* comprobatur. Pari modo de FRIDERICO II. Daniae Rege, memoriae proditum eſt, eum, ſi quando cum purpuratis indulgere genio paulo liberius uoluerit, ueluti depoſita Regis perſona, *Agite*, dixiſſe, *ludamus amici, ineptiaque animum pauliſper remittamus, dum Rex abeſt;* atque ita cum iis luſiſſe, mox ubi ſatis luſum ei uiſum ſit, tanquam aſſumta rurſus Regis perſona, uultu ad grauitatem compoſito, iuſſiſſe ludo deſiſti, quod Rex rediiſſet, citante praeter alios RVPERTO, ad *Valer. Max. pag. 490.* Quod dum faciunt boni Principes, omneſque illuſtres uiri, ipſi intelligunt, his deliciis ita eſſe utendum, ut intra limites honeſtae remiſſionis conſiſtant, neque id faciant, quod inhoneſtum eſſe et turpe, lex Dei et recta ratio docet, uel quod ab ipſis aliis eſt interdictum. Neque uero in has oblectationes nimium temporis impendant ac ſumptuum, adeoque efficiant, ut res publica uel miſellus populus hac ex re incommoda ſentiat et detrimenta. Quod ſi fieret, nemo dubitabit, tum grauiſſime peccari ab ipſis Principibus, tum alios in peccata rapi, quae delirantium peccata ſaepiſſime poſtea, iuſto Dei iudicio, nocentes pariter ac innocentes premunt, adeo, ut utrique grauiſſime poenam luant, uid. FRITSCHIVS, in *Principe peccante.* Praedicandi contra

tra iſti ſunt Principes, qui parce, uel plane non, his rebus utuntur, qua parte aula Imperatoriae Maieſtatis, Diui LEOPOLDI, ab exteris laudari ſolebat, in qua uſus maſcherarum non adeo frequens fuiſſe dicitur. PACICHELLIVS, de *Laruis*, *cap. 6. pag. 87.* Quod laudatiſſimum Magni Parentis exemplum Imperator Auguſtiſſimus, CAROLVS SEXTVS, imitatur, atque in hac quoque parte eius diſciplinae documenta prodit, cum harum uoluptatum parciſſimus eſt, et tempus pariter, atque impenſas, grauioribus domi foriſque rebus impendit. In Germania, et Belgii utriuſque prouinciis, niſi Bruxellis, et Coloniae Agrippinae, apud Epiſcopum Argentinenſem, Furſtenbergium, Franciſcum Egonem, laruatos ſe non uidiſſe luſus, teſtatur IDEM PACICHELLIVS, *d. l. cap. 6. ead. pag.* Sed in alias tamen quoque aulas eum morem penetraſſe, nemo ignorat. Raro aulam Parmenſem in Italia admittere, IDEM aſſentitur, *d. l. pag. 88.*

§. XXIV.

Plebeii homines non utantur, niſi interdum.

Reliquis uero minorum gentium hominibus, ignobilibus quoque, mercatoribus, opificibus, etc. laruas geſtare, lege quadam generatim interdictum eſſe, non nouimus, atque adeo uti illis licebit, quouſque nulla prohibitae lege, ac certo hominum generi permiſſae, inueniantur. Immo nec de plebe quidem homines ab his gaudiis, ſi in aulis Principum celebrantur, repelli, experientia ſatis teſtatur, ſi modo modeſte ſe gerant, nec libertate hacce abutantur.

 Nam-

Namque ex hac re, ut iam ſupra dictum, capitur uoluptas, ſi magna imis ad breue tempus miſceantur, ac ſubditi domino, ignobiles nobilibus, pauperes diuitibus, quadam tantiſper iuris parte, non concedant. Immo ab his nec Iudaeos repelli, concluderem, modo cetera paria ſint, illos praeſertim, qui diuites ſunt, atque cum decore perſonas induere poſſunt. Interim ſatius utique eſſet, inferioris homines conditionis ab eiuſmodi rebus plane abſtinere, BALDVINVS, *Caſ. Conſc. lib. 4. cap. 1. pag. 638.* Neque enim decet eos omnia imitari, in aulis quae fiunt, ac Principibus, animi leniendi cauſſa, conceduntur, praeſertim illis in locis, aula ubi non eſt. uid. DIETHERRVM, in *Continuat. Spec. Speidelian.* uerbo: *Maſcarada.* Atque ideo, cum Annaebergenſes in Miſnia aliquando Bacchanalibus laruati indulgerent, ſeuere id a Principe interdictum, quod legi poteſt apud CARPZOVIVM, *Iuriſprudent. Eccleſ. Lib. 2. Def. 264. num. 26.*

§. XXV.

Perſonae, minus ſibi cognitae ſponſalia contrahere nequeunt.

Quibus peractis, in iure perſonarum, matrimonii res ſe ſiſtunt, quarum reſpectu uariae circa uſum maſcherarum quaeſtiones naſci poſſunt. Ac primo quidem quaeri hic poteſt: Num a perſonatis hominibus ſponſalia celebrari poſſint? Qua quidem in re praeſtruendum eſt, ſponſalia, niſi conſenſu partium, non conſtare, *l. 4. π. de Sponſ. l. 30. π. de R. I. cap. 26. X. de Sponſ.* atque adeo perſonas, niſi ſibi cognitas, ſi facie minus, alia tamen certe ratione, ſponſalia celebrare

brare non posse. Qui enim consentiant de perpetua futura cohabitatione, qui ignoti sibi inuicem sunt? Quod si itaque duae personae, non tantum corpore, sed etiam uultu, uel hoc saltem utriusque laruato, sponsalia celebrent, facile iudicare licet, nihil esse actum, cum neutra alteram nouerit, ac intellexerit, cuius sit conditionis. Ac, quamuis tales laruatae personae uerbis consensum declarent, atque sic dici possit, sibi adscribi debere, quod in conditionem alterius non diligentius inquisiuerint, cum quilibet, qui cum alio contrahit, gnarus debeat esse conditionis illius, quo cum contrahit. *l. 19. π. de R. I.* facile tamen responderi poterit, minime praesumendum esse, inter iocos seria, et talia fuisse acta, quae maximam deliberationem exigunt, a quibus pendet omnis uitae felicitas, atque tam absurdum quenquam fuisse, ut sibi ignotum hominem coniugem eligere uoluerit, sed inter iocos, qui consensum non inferunt, iocose actum esse uideri. Vnde etiam DD. communiter concludunt, sponsalia iocose contracta, non ligare. CARPZOVIVS, *Iurisprudent. Eccles. Lib. II. Def. 19.*

§. XXVI.

Quod si tamen supponamus, personatos illos homines sibi fuisse notos, uel aperuisse uultum, ita, ut una ab altera dignosci potuerit, testes insuper adfuisse, nec clam actum, ceteraque paria sint, ac recte se habeant; eiusmodi sponsalia pro ualidis habenda esse, non dubitarim. Neque tamen nego, iu- *Rectius differuntur sponsalia.*

dicis arbitrium hic uim ſuam exercere, ſatiuſque longe et magis pium eſſe, ſi haec primordia matrimonii, ſanctiſſimae rei, in aliud tempus differantur, quod magis commodum, atque cum Deo et precibus auſpicia illius fiant, non inter iocos ac ludos. Immo, parum pium eſſe, arbitror, ſi perſonati per iocum ſponſalia tractent, atque honeſtiſſimam rem et ſanctiſſimam ludibrio exponant. CARPZOVIVS, *Iuriſprudent. Eccleſ. cit. Lib. II. Def. 19. n. 9.*

§. XXVII.

Ευλογία ſacerdotalis laruatis deſponſis denegatur.

Quod ad ipſum matrimonium attinet, notum eſt, apud Chriſtianos pleroſque hodie receptum eſſe, ut ἐυλογία coram Eccleſiae facie, et quidem ordine praeſcripto, in ſacris aedibus, accedat, atque ante, quam id factum, cohabitatio uiri et uxoris, non pro matrimonio, ſed pro contubernio uel concubinatu, habeatur, qua de re multa apud Theologos ac Iuris peritos paſſim legi poſſunt. CYPRAEVS, de *Connubior. Iure, Part. I. cap. V. §. 6.* et *cap. XI. §. 15. et 20.* CARPZOVIVS, *Iuriſpr. Eccleſ. Lib. II. Def. 142. num. 9.* CHEMNITIVS, in *Exam. Concil. Trident. Seſſ. 24. cap. 1.* Noſtrae diſquiſitionis tantum hoc eſt, an ſub maſcheris ἐυλογία rite fieri, atque ita perſonati ſibi inuicem iungi poſſint? quod omnino et prorſus negandum eſt. Namque uti nec ſponſalia, ita nec ipſum matrimonium, ab incognitis ſibi perſonis iniri poteſt, propterea, quod ſic conſenſus deficiat. Deinde, etſi de conſenſu ſatis conſtet, haud tamen eſt licitum ad aedes ſacras, uel ubi tandem cunque homines, tan-

tanquam credentium coetus, et in nomine Iesu Christi, congregantur, laruas et personas admitti. Atque adeo, cum nec ad Ecclesiam tales laruae sint admittendae, nec ea de caussa, εὐλογία poterit impertiri, immo, si, diuino humanoque iure neglecto, tale quid fiat, nemo, credo, dubitabit, nullam plane esse eiusmodi actionem. *l. 5. C. de LL.*

§. XXVIII.

Neque uero iocum hic adducere licebit, cum facultatem iocandi ministerii sacri actiones minime admittant, et seuera potius poena eiusmodi ioci uindicari debeant. Venit in mentem improbum factum, quod in uicini pagi caupona ante aliquot annos contigit, quam homines quidem perditissimi una cum meretricula ingressi erant. Vnus ex his sacerdotis personam sumebat, atque alterum cum meretricula, more sacro, tanquam coniuge iungebat, qui et, commessationibus peractis, ut ne quid flagitio deesset, corpus postea per noctem hac cum nupta miscebat. Equidem, commissa hac nequitia, deperditi homines fuga saluti suae consuluerunt; caupo tamen et ipsius uxor, qui malitiam hanc hospitio promouerant, ex merito plectebantur. Ceterum, in quibusdam locis solemnem matrimonii professionem, praesente magistratu, in curia fieri, constat, qua facta, ad aedes sacras precum caussa adeunt. Quod in Belgio fieri, nemo ignorat. HAHNIVS ad WESENBECIVM, *Tit. de R. N. num. 5.* uerbis: *Benedicente nubentibus etc. pag. 213.* ubi itaque hic mos receptus *Cum qua iocari non licet.*

 est,

eſt, nec profeſſio talis a perſonatis fieri poteſt, qui repellendi a curia potius ſunt, quam ad illam, atque rem ſeriam adminiſtrandam, iocoſo ſub hoc ſchemate admittendi.

§. XXIX.

Quae nec ualet, alterutra contrahentium parte laeſa.

At iam faciamus, tempore, quo maſcherae in uſu ſunt, uel alio, uiliſſimae conditionis hominem induiſſe perſonam nobilis, uel alterius in quadam dignitate conſtituti: aperto uultu ſub ueſtibus illis geſſiſſe ſe pro nobili, uel alterius dignitatis homine: ambiuiſſe nobilis uel alterius honeſtae uirginis nuptias: uirginem aſſenſiſſe, exiſtimantem, illum, quem ſe tum dixerit ac geſſerit, futurum. Comperta uero fraude, an uinculo quodam puella teneatur, dubium. Equidem, negandum illud eſſe, exiſtimarem, atque nulla eſſe ſponſalia, affirmarem. Quoniam enim intellectus, tanquam fons conſenſus, minus recte fuit informatus, quin potius deceptus, ideo, hanc in rem puellam conſenſiſſe, non eſt cenſendum, quae conditionem nequaquam accepiſſet, ſi, dolo cognito, illum talem non eſſe, quem ſe geſſerit, certior fuiſſet. PVFENDORFIVS, de *Iur. Nat. et Gent. lib. 3. cap. 6. §. 8.* Quod ſi in bonae fidei contractibus doli etiam ratio ita habenda, ut, ſi cauſſam dederit contractui, pro nullo ſit habendus, *l. 7. π. de dolo. l. 16. §. 1. π. de minor. l. 6. C. de praeſcript. long. temp.* quidni idem diceremus de ſancto deſponſationis negotio, quod ob grauitatem ſuam quam maximam, bonam fidem requirit. CYPRAEVS, de *Connubior. Iure, cap.*

re, cap. 13. §. 58. B. DN. STRYK, de *Diſſenſu ſponſalitio, Sect. 2. §. 9.* Quae omnia adeo uera exiſtimamus eſſe, ut, licet iuſiurandum acceſſerit his ſponſalibus, tum iure Ciuili, arg. *l. ult. C. de non num. pecun.* tum etiam Canonico, propter *capitulum*, *Cum contingat 28. X. de iureiur.* quo Pontifex diſerte iuſiurandum, ſeruandum alioquin, ſtringere negat, ſi dolus interueniat, ualidiora reddantur. FRANTZKIVS, *lib. 2. reſolut. 4. qu. 4.* Neque uero obiici hic poterit, dignitatem ciuilem ad naturam matrimonii non pertinere. Sufficit enim dolo eſſe deceptam, atque, quod conſenſura ſponſa non fuiſſet, ſi, falſam, ſciuiſſet, ſponſum induiſſe perſonam, NICOLAI, de *Repud. cap. 2. num. 94.* Nec male GERHARDVS dicit: *Dolum iſtum concernere ſubſtantialia matrimonii*, *Loc. Theolog. cap. de Coniugio, n. 116. qui conſenſui reſiſtit, cum conſenſus maxime matrimonium faciat*, SANCHEZ, de *Matrimonio, lib. 7. Diſp. 18.*

§. XXX.

Nec conſummata cohabitatione, dolo addita ualet.

De matrimonio conſummato, tali caſu, maior dubitatio eſſe poteſt. Neque enim temere Pontificii diſſolutionem coniugum admittunt, matrimonio coram Eccleſia per εὐλογίαν et cohabitationem conſummato, propter inueteratam, apud Proteſtantes uero exploſam, opinionem, matrimonium eſſe ſacramentum, COVARRVVIAS, de *Matrim. P. 2. cap. 3. §. 7. n. 4.* MOLINA, de *Iuſt. et Iur. tr. 2. Diſp. 259. n. 8. et 352. num. 5.* Rectius tamen ſentiunt illi, qui et hic, minus legitime matrimonium initum eſſe, agnoſcunt, CYPRAEVS, de *Connubior. Iure, cap. 13. §. 58.* qui enim per dolum

ſe

ſe feminae iunxit, non Deo auctore, ſed malo genio, mendaciorum patre, id perpetrauit, decepitque eccleſiam atque ſponſam. Nec ſane ex tali fraude commodum percipere debet. Quae ſententia uariis rerum iudicatarum inter Euangelicos monumentis comprobatur, RICHTERVS, *Deciſ. 88. num. 25. et 30.* CARPZOVIVS, *Iuriſprud. Eccleſ. Lib. 2. Def. 104. n. 12.* B. DN. STRYK, de *Diſſenſ. Sponſ. Sect. 2. §. 13. et Sect. 5. §. 49. ſeqq.* ubi inſigne exemplum, in quo eiuſmodi matrimonium pro nullo reputatum fuerit, quod inter callidiſſimum nequam, et uirginem nobilem, propter apparitiones, quas prae ſe ferebat, notiſſimam, et inter ſectae ſuae homines, pro Diua habitam, H. L. V. D. H. contractum refert.

§. XXXI.

Nec ſponſalia errore contracta firma ſunt.

Affinis quaeſtio eſt, de errore, qui conſenſum etiam excludere dicitur, *l. 15. π. de iuriſdict. l. 57. π. de O. et A. l. 51. π. de pact.* Fac itaque, eiuſmodi hominem, ueſtibus, ſtatum atque conditionem ſuam ſuperantibus, ſolicitare nuptias puellae: nihil plane de ſua conditione edixiſſe: puellam adeo fuiſſe ſtolidam, ut, uel diuitem, uel in honore conſtitutum, crederet: comperire uero poſtea, mirum in modum ſe eſſe deceptam. Sane errauit quidem hic femina, ſed errauit tantum in circumſtantiis, et, quod decepta eſt, ſuae debet temeritati acceptum ferre. Dum uero in perſonam conſenſit, actio illa, modo dolus abſit, pro nulla haberi nequit, arg. *l. 51. π. de pact. l. 57. π. de O. et A. l. 9. π. de contrab. empt. uend. l. 21. §. 2. π. de*

act.

act. empt. et uend. Canon. un. cauſſ. 29. qu. 1. Cum uero dolus, doloſaeque perſuaſiones, non uerbis modo, ſed factis quoque, ac rebus, committi, fierique, poſſint; ſtudioſe inquirendum, num dolo malo perſonam iſtam induerit homo, ut, licet non uerbis, reapſe tamen, ſimplicem deciperet puellam. Quod ſane ſi factum ſit, non debet fraudis ſuae fructum ſentire, *l. pen. C. de legat. cap. 2. Ex literis X. de dolo et contumac.* Neque hic, nimis credulam fuiſſe ſponſam, poterit obiici, quando ſponſi calliditas longe eſt deterior, cui neutiquam indulgendum. Conf. B. Dn. Stryk, de *Diſſenſ. Sponſ. Sect. 2.* Immo, ſi maxime de dolo malo non adeo conſtet, nec nulla ſponſalia dicenda: aequitas tamen poſtulare poteſt, ut ab eiuſmodi ſponſalibus recedatur, Idem, *d. l. Sect. 2. th. 30.* e. c. ſi puella talis ſit conditionis, ut, niſi nobili, nuptura non fuiſſet. Idem, *d. l.*

§. XXXII.

Error in perſona conſenſum matrimonialem impedit.

Quod ſi in perſona ipſa, propter fictitium habitum, error aliquis fuit commiſſus, conſenſum ſponſalitium et matrimonialem plane impediri, nemo dubitabit, *c. un. c. 29. qu. 1. l. 9. pr. π. de contrah. empt.* Si e. g. forte ille, qui ſponſus debet eſſe, deprehendat aliam, ſponſae ſuae ueſtibus indutam, atque illi matrimonium promittat, cum eaque congrediatur, uel ſponſa in eiuſmodi errorem incidat; nec ſponſalia, nec matrimonium, rata ſunt habenda, ob errorem in perſona commiſſum, qui, ut dictum, conſenſum excludit. In huiuſmodi errorem incidit Iacobus,

cui a Labano, Rahelis loco, Lea fuit adducta, quod coniugium, nisi Iacobus ratum habuisset, nullum fuisse, omnes fatentur, per *cit. Canon. un. cap. 29. qu. 1.* LAYMANNVS, *Theolog. Moral. Tom. 2. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 2. n. 1.* Non quidem ob dolum, qui fortasse in Lea fuit nullus, quippe quae imperio patris obsequens existimauit, a patre se desponsatam esse Iacobo, adeoque iure in lectum duci. Quid? quod patris, tanquam tertii, dolus, cuius ipsa non fuit particeps, fraudi esse non potuit, B. DN. STRYK, *d. l. Sect. 2. §. 16. et Sect. 5. §. 58.* Sed, uti dictum fuit, ob amorem Iacobi, qui cum Lea nequaquam desponsatus, existimabat, Raheli suae se cohabitare. Ceterum, si dolus personatae huiusmodi personae ipsius accedat, nemo dubitabit, ea propter eiusmodi actiones nullius momenti esse ac ponderis, quin immo, quae grauissima uindicentur poena, mereri.

§. XXXIII.

Vxor, non consentiente marito, laruam gestare, uel personatorum coetum frequentare nequit.

Inito matrimonio, inter coniuges circa mascheras quoque possunt quaestiones suboriri. Competit nimirum marito, si non iure naturae, atque extra casum, quo sponte sua femina se subiicit, certe iure Diuino, itemque Canonico, Ciuili ac Saxonico, potestas ac imperium in uxorem, uti uxor contra marito debet animi demissionem, obsequium ac reuerentiam, *Genes. III. 16. Ephes. V. 22. 1. Cor. XI. 3. Canon. 15. c. 33. qu. 5.* Conf. ARNISAEVS, de *Iure Connubiorum, cap. VII. Sect. 1. seqq. l. 4. C. de Crim. expilat. haered. l. 14. §. 1. π. solut. matrim. l. un. §. 7. C. de rei ux. act.* Videantur

antur tamen, quae Dn. Parens *Oeconomia iuris Lib. I. tit. 3. §. 1.* differit. Qua ex re id fequitur, uxorem, prohibente ac nolente, immo et ignorante, marito, mafcheras induere, et laruatorum coetus frequentare non poffe. Id quod etiam fatis aperte probatur ex *l. 8. §. 3. C. de repud. et Nou. 117. c. 8.* ibi: *Si circenfibus, aut theatris, aut amphitheatris interfuerit ad fpectandum, ignorante, aut prohibente, uiro.* Cum enim uxoris actiones pendeant a uoluntate mariti, tanquam familiae capite; huius potiffimum intereft, uxorem domi fe continere, nec frequenter obambulare, aut uirorum coetibus intereffe. Hoc enim modo et res familiaris optime adminiftrabitur, et mariti animus multis uacabit fufpicionibus. Ex quo fequitur, uxorem haec et fimilia, infcio, uel prohibente marito, facere non poffe, praefertim autem laruatam minime foris pernoctare debere, *d. l. 8. C. de repud.* Quin immo prudentis mariti eft, operam dare, ut uxorem ab huiufmodi rerum uanitate, ludifque ac fpectaculis abftrahat, adimatque occafionem peccandi. Quam in rem multa legi poffunt apud Gvevaram, in *Horolog. Princip. Lib. II. cap. 9. 10. feq.* ubi *cap. 8.* haec habet. *Quod uxores mariti fuas amant, oblectant, in deliciis habent, earumque fidei plurimum credunt, laudo atque approbo. At quod refragari uxoribus, per alienas oberrantibus domos, mariti uel non audent, uel non uolunt, id uero uitupero et damno. Nam utut per fe bonae fortaffis fint, tamen ut uanae habeantur, anfam praebent.* Quod fi mulier contra officia peccet, et, monita licet, a propofito omnino non defiftat, nullum eft dubium, quin caftigari

gari a marito poſſit, quatenus alias eiuſmodi emendatio conceſſa eſt marito, *l. 3. §. 3. π. de SCto Silan. l. 14. §. 1. l. 24. §. 5. π. Solut. matrim. Nou. 117. cap. 14.* CARPZOVIVS, in *Prax. Crimin. qu. 12. n. 50.* HAHNIVS ad WESENBECIVM, *tit. de Nup. num. 6.* B. DN. STRYK, *Diſſ. de Alapa, cap. 2. num. 6.* Comp. DN. PARENTIS *Oeconom. Iur. d. l. pag. 89. ſeq.*

§. XXXIV.

An, ſi, inuito marito, peccet, diuortio hic cauſſa praebeatur.

Immo, ſecundum Iuſtinianeum ius, tantam uxoris temeritatem ſufficientem diuortio cauſſam praebere, ex *d. l. 8. C. de repud. et Nou. 117.* ſatis intelligitur. Equidem, hoc, aetate noſtra, paulo aliter ſe habere, non nego. Reſpuit enim hodiernus uſus, hac parte Iudaeos imitans, Iuſtinianeum ius, quod paulo facilius, ac par eſt, in concedendis diuortiis ſeſe exhibet; ſed potius ad doctrinam, quae in ſacro continetur codice, dirigitur. Quod ſi tamen, ad maſcherarum uſum, inuito marito, uel prohibente, qui fit, aliud quid accedat, ex quo ualida commiſſi adulterii ſuſpicio naſcatur, matrimonii uinculum diſrumpi ideo, uſus, ac Proteſtantibus hactenus receptus mos, docet. Vid. B. DN. STRYK, de *Diſſenſu Sponſalit. Sect. 5. §. 3.* Quem tamen, non nego, dubiis expoſitum eſſe. Nam *cap. 10. et 12. X. de praeſumpt.* quod in partes uocant, procul dubio de diuortio, quod matrimonii uinculum ſoluat, intelligi nequit, cum licentiam det, mortua demum uxore, aliam ducendi, et ius Canonicum diuortium tantum a thoro et menſa admittat, LANCELOTTVS, *lib. 2.*

tit. 16.

tit. 16. §. 8. seqq. ibique B. DN. ZIEGLERVS. Immo uix credibile eſt, Chriſtum de ſuſpecta adulterii femina locutum eſſe. Interim tamen, ſi ſponſus experiatur, ſponſam nimis libere his rebus operam dare, facilius repudio, quam diuortio, locum fieri poſſe, non reclamarim. Quod ſi fortaſſe uxor corrumpatur ab aliis, ut, inuito marito, laruas induat, et laruatos coetus frequentet, utilis actio ſerui corrupti marito accommodari poteſt, arg. *l. 14. de ſeru. corrupt.* quae actio etiam locum habebit, ſi tantummodo quis hac parte tentauerit uxorem, arg. *l. 20. C. de furtis et ſeru. corrupt.* Conf. OLDENDORPIVS, *Claſſe VII. act. 2.*

§. XXXV.

Maritus ad laruas uxori ſumtus non dat, niſi ipſe, illam his coetibus intereſſe, uelit.

Ad officium mariti equidem pertinet, ut ſumtibus neceſſariis pro dignitate atque facultatibus uxorem inſtruat, *l. 28. π. de religioſ. l. 1. §. 19. π. de uentre in poſſ. mitt.* SVRDVS, de *Aliment. tit. 1. qu. 32. ſeq.* Quaeri itaque poteſt: Num ſumtus ad maſcherarum uſum petere poſſit ab inuito marito uxor? Quod quidem utique ex antea dictis eſt negandum. Quod ſi tamen maritus, illam perſonatis intereſſe, uelit, uel fortaſſe uxor in aulicis uerſetur miniſteriis, et ex uoluntate dominae illam laruis indui oporteat, aliud erit utique dicendum. Quando enim maritus uel ipſe uult, ut interſit hiſce rebus, uel in aula uerſatur, conſentiente marito; non poterit ipſi diſplicere, ſi hanc in rem ſumtus erogandi ſint, uel alia, quae minus ad palatum ſint, inſequantur.

§. XXXVI.

Vxor iure postulat, maritum non nimis frequenter his coetibus interesse.

Sed possunt tamen et hac ratione uxores quid exigere a maritis. Namque etsi imperium nullum sit uxori in maritum: poterit tamen et ipsa interim a marito postulare, quod aduersetur mutuo coniugum amori. Non iniusta itaque erit eius postulatio, si uelit, marito non nimis frequentem esse mascherarum usum, maxime, si cum suspectis uersetur feminis, multoque magis, si cum impudicis. Sane, Iustinianeo iure, ubi maritus, uxore praesente, cum impudicis mulieribus, quod maxime castas etiam excitat, coetum ineat, aut alia cum muliere frequenter uersetur, uxorem a marito diuertere iure potuisse, ex *l. 8. C. de repud. et Nou. 117.* notum est. Quamuis autem, hocce diuortio caussam dare, hodie non dixerim: non iniqua tamen postulatio est uxoris, ut maritus ab his rebus animo suo temperet. Eodem iure nititur, si mulier contradicat marito, qui inuitam illam persona induere, et ad sub maschera laetantium coetum adducere uelit. Contra ea, si maritus frequenter his rebus indulgeat, non potest etiam hos adeo mores improbare in uxore, cui eos colendi auctor est. Per enim iniquum est, uirum ab uxore id exigere, quod ipse non praestet, *l. 13. §. 5. π. ad l. Iul. de adult. can. 2. causs. 32. qu. 6.* Antequam uero abeamus ab hoc de matrimonio argumento, illud tantum addendum, in nuptiarum solemnibus, animi caussa, saepissime laruas et personas indui, quod, ubi nullum interdictum extat, tolerari potest, modo

modo abuſus abſit, neque mala inde exempla oriantur, Vid. PACICHELLIVM, de *Laruis*, *cap.7. pag.97.*

§. XXXVII.

Tractatum nuptiarum ſequitur adoptio, qua patria poteſtas ac munus pariter, ac per iuſtas nuptias, adminiſtrari poteſt. Cuius occaſione quaeri poteſt: An arrogatio, uel adoptio, ſpeciatim ſic dicta, a perſonatis fieri poſſit? Sane cum utraque, ex *tit. I. π. et C. de adopt.* auctoritate publica fieri debeat, atque plane indecens ſit, adire Principem uel magiſtratum ſub maſcheris et laruis, pariter id negandum eſſe, exiſtimo, ac ſupra dictum *§. XVII. de Manumiſſione*, quae omnia, cum hic, tum ad *Quaeſtionem de Emancipatione*, poterunt applicari. Comp. *Oeconom. Iur.* DN. PARENT. *lib. I. tit. 3. §. 14. p. 143.*

Arrogatio et Adoptio a perſonatis fieri nequit.

§. XXXIIX.

Ex argumento tutelae parum forte, credideris, ad operam noſtram trahi poſſe. Sed tamen nec hic ſterilitate laboramus. Quaeſtio moueri poſſet: Num praetor perſonatus, tutorem dare poſſit, anue laruatus tutor conſtitui. Quod quidem omnino negandum uidetur, propterea, quod, ſi maxime de perſonis conſtet, haud tamen deceat, illa, quae iure magiſtratus geruntur, ſub laruis fieri, prout ſupra fuit dictum. Eodem modo, quod prius dici debuiſſet, facile inter omnes conſtabit, non poſſe ita tutorem dari: *Ille liberis meis tutor eſto, qui primus in carniſpriuio perſonatus apparebit.* Etſi enim ignotus quoque a

Nec praetor perſonatus tutorem dare, nec laruatus tutor conſtitui poteſt.

patre

patre dari poteſt tutor, ut Diui Fratres reſcripſerunt, *l. 15. §. 14. π. de excuſat. §. 10. I. de excuſat. tutor. uel curat.* omnes tamen conſentiunt, hoc tantum de ignoto facie intelligendum eſſe, non uero de illo, cuius mores ignoramus. Mores ſane illius, qui datur, perſpecti utique eſſe debent, ſi, probatos illos fuiſſe patri, dixeris, cum certo iudicio quis debeat, per ſuam tutelam, poſteritati ſuae cauere, *§. 27. I. de legat.* Quomodo autem, quaeſo, tali caſu id fieri poſſit? atque ſic tota illa actio inanis erit, *l. 20. π. de teſtament. tutel. d. §. 27. I. de legat.* Vid. HOPPIVS, *Diſſert. de iure ignotor. c. 2. m. 8.*

§. XXXIX.

Tutor prohibere poteſt pupillo perſonas, non uero curator.

Ipſa tutela eſt uis atque poteſtas, h. e. facultas, aut ius, quid ſtatuendi ac faciendi, tum in perſona pupilli, tum in rerum pupillarium adminiſtratione, *l. 1. π. de tutel.* Atque tutor non tantummodo rebus, ſed etiam pupilli moribus, praeponitur, *l. 12. §. 3. π. de admin. tut. et curat.* Ex quo conſequitur, tutorem etiam prohibere poſſe, pupillus ne laruas induat, atque ad perſonatos accedat. Immo peccare tutorem, ſi hac in parte negligentem ſe gerat, et patiatur, teneram aetatem illecebris hiſce corrumpi. Curatoris non tanta poteſtas eſt in perſonam minoris, cum eius cura in primis res reſpiciat, et poſtea demum in quibuſdam ad perſonam ſe extendat. Atque hinc etiam, licet habeant curatores adoleſcentes, illa tamen, quae ad ſuam tantum perſonam pertinent, libere agere poſſunt, *l. 101. π. de V. O.* Nullus tamen dubito,

dubito, et curatoris esse, cauere, quoad eius fieri potest, ne adolescens, cuius curam gerit, in eas res incidat, quae ad praua deducunt. Etsi uero tutor peccet, necessaria denegans pupillo, uel curator minori, atque, tanquam suspectus, uterque remoueri possit; immo, si propter inopiam neget, alimenta posse decerni, idque per mendacium, ad praefectum urbi extra ordinem puniendus remitti debeat, *§. 9. et 10. I. de susp. tut.* ibi *DD.* Omnia tamen haecce ad illum non pertinent, qui sumtus ad mascherarum usum suppeditare detrectat, quin potius nullum dubium, peccare tutorem, uel curatorem, si tales sumtus, haud expedientes pupillo, uel minori, faciat, *l. 1. §. 4. et 5. de tutel. et ration. l. 12. §. 3. de admin. et peric. tut. et curat. l. 32. §. 5.* ibi: *sumptibus uoluptatis caussa π. eod.* MONTANVS, de *Iure tutel. cap. 40. n. 44. seqq.* Atque adeo aegre ferre non debet, si eiusmodi impensae postea ex rationibus expungantur.

§. XL.

Quod si tamen fortasse pupillus, uel minor, in ministeriis aulicis uiuat, uel alias ob conditionem personae suae non possit commode et honeste se subtrahere his lusibus, uel si occasione eiusmodi rei Principis gratiam aucupari queat honeste, non impediendus est a tutore uel curatore, qui et sine periculo sumtus hanc in rem tum poterit subministrare, pro dignitate et facultatibus pupilli, uel minoris, arg. *l. 12. §. 3. l. 13. π. de admin. et peric. tut. et curat.* Cum de administratione tutorum loquimur, uenit in mentem, an, si fortassis pupillus, uel minor, in heredi- *Nisi pupillus uel minor in ministeriis uiuat.*

Aa tate

tate paterna habeat uestimenta eiusmodi pretiosa, aliasque res, quae ad usum mascherarum pertinent, tutor illas res sine decreto uendere ac alienare possit, aliisque solemnibus, quae in *Tit. de rebus eorum, qui sub tutela uel cura sunt, etc.* requiruntur. Cuius rei decisio non erit difficilis, modo constet, num res hae tales sint, quae seruando seruari possint, an secus. Priori casu, cum res istae morali aestimatione immobilibus aequiparentur, haud ualide fieri poterit alienatio, solennibus legalibus destituta, *l. 22. C. de administ. et peric. tut. et curat.* ubi *DD.* Posteriori casu aliud dicendum erit, *DD.* ad *l. 7. §. 1. π. de administr. et peric. tut. et curat.* Quaenam autem res tales sint, quae seruando seruari possint, Hahnivs docet ad *tit. de rebus eorum, qui sub tutel. etc. n. 3.* Quae hac parte a *DD.* congerantur temperamenta, superuacaneum est, hic recenseri, et alibi legi possunt.

§. XLI.

Vtrum a laruato tutore pupillo cum aliis laruatis hominibus contrahenti auctoritas praestari debeat?

Potissimum uero officium tutoris est, ut auctoritatem praestet pupillis, uti curatores consensum minoribus, qua de re peculiaribus titulis in libris ac compendiis iuris, agi solet. Hic illa se sistit quaestio: Vtrum a laruato tutore pupillo, cum aliis laruatis hominibus contrahenti, auctoritas praestari possit? quae quidem quaestio ex superioribus facile solui potest. Quod si enim personae sibi inuicem ignotae sint, incertumque, quis ille, qui pro tutore se gerat, nihil actum utique est, et censendum potius, iocatos esse personatos homines, quam serio id egisse. Quando tamen

tamen aperto uultu omnia haec gesta sunt, atque de consensu partium constat, et reliqua se recte habent, non uideo, quae tandem caussa sit, quam ob rem sola persona, qua teguntur, negotium impediat. Omnia uero haec intelligi uelim de negotiis, quae extra iudicium geruntur. Nam de illis, quae, praesente praetore, aguntur, caussis, iam saepe dixi, ualde absonum esse, si coram magistratu personati compareant, uel ipse magistratus personatus officio fungi uelit. Atque haec, quae proxime dicta, ad curatores feminarum, quae maiores, similiter applicanda, qui alioquin, cum nullam habent bonorum administrationem mulierum, curae suae commissarum, nec in earum personas potestatem, CARPZOVIVS, *P. 2. C. 15. Def. 33. n. 6. et Def. 38.* non impedire poterunt mulieres, quo minus mascheris utantur, uel has in res sumtus faciant. Quoniam tamen consilio iuuare debent easdem, curatoris est, prudenter monere, ne sibi noceant, sed ut tum sumtibus, tum famae, parcant. *Omnia, enim, quae in bonis fortunae quisquam potest facere, damna ne minimae quidem famae iacturae aequari possunt. Si quis uulgi sermonibus famam suam, ueluti scopum sagittariis, obiicit, e centum sagittis uix una aberrabit. Rursum uero, cui pudor periit, quique nulla existimationis cura afficitur, ab eo non est, quod opus ullum laudabile expectemus.* GVEVARA, *Horolog. Princip. lib. II. c. 10.*

CAP. IV.
SECT. II.
DE
IVRE RERVM.

§. I.

Non est mascheris utendum, quibus diuinitas, uel facies Dei O. M. adumbratur.

POstquam hactenus, quae ex primo Iuris capite ad nostrum institutum accersiri possunt, exposuimus, iam porro ad secundum accedendum, quod in rebus occupatum, atque ubi eo elaborandum, ut, quae huc spectent, eruamus. Quod dum facimus, in memoriam reuocandum est, res omnes diuini esse, uel humani, iuris, quae rerum diuisio hic erit commodissima. Res uero diuini iuris omnes illas hic dicimus, quae ad cultum diuinum, externum scilicet, pertinent, ut omnia ordine, decenterque, in coetu numen colentium fiant, ut in rebus sacris iustitia legitime administretur, ut denique Deo, quod suum est, atque extrinsecus debetur ipsi, tribuatur. Quam rem egregie exponit B. ZIEGLERVS de *Iur. Maiest. lib. 1. c. 13. th. 14.* ubi et de interiori cultu, quantum huc spectat, erudite agit. Nostrum est, iam examinare, quomodo laruis utendum, ne in rebus peccemus, quae diuini iuris esse, dicuntur. Quod dum facimus, tum ad ipsas mascheras, tum ad locum, tum etiam ad tempus, quibus locus mascheris est, ordinis caussa respiciendum. Ac, quod quidem ad mascheras ipsas attinet,

attinet, ante omnia illud notandum, non eſſe licitum maſcheris uti, quibus diuinitas, uel facies Dei Optimi Maximi, adumbratur. Nam, etſi nequaquam dixerim, peccatum eſſe, Deum, qui nec uideri corporis oculis, nec repraeſentari poteſt, eo modo, quo ſe in eccleſia, aſſumta quadam figura, hominibus patefecit, pictura uel ſculptura proponere. e. c. Deum Patrem ſub forma ſenis, Filium de cruce pendentem, Spiritum S. in columbae forma apparentem ex *Daniel. VII. u. 9. et Matth. III. u. 16.* quod quidem Reformati putant, ſatis tamen a multis refutati, Vid. KOENIG. *Caſ. 3. conſc. ex orat. domin.* BALDVINI *Caſus conſc. L. II. c. 2. c. 2.* Quamuis etiam non exiſtimem, illicitum eſſe, in ſpectaculis, quae pietatis et uirtutis cauſſa ad imitationem et inſtructionem iuuentutis aut rudis populi, exhibentur, eiuſmodi repraeſentationes fieri, in qua ſententia TERTVLLIANVS *Lib. 6. de Spectaculis*, fuiſſe uidetur: *Iam uero ipſum opus perſonarum*, inquiens, *an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem uetat fieri, quanto magis imaginis ſuae etc.* Conf. BALDVIN. *d. l. Lib. IV. c. 1. c. 2.* TELLEZ ad *C. 12. X. de uit. et bon. Cleric.* nemo tamen tam impius erit, qui et patiatur ſe adduci, ut exiſtimet, ad iocos etiam conciliandos adhiberi poſſe eiuſmodi perſonas et uanam uoluptatem. Quod dum fieret, nomen Dei ſanctiſſimum, ipſaque diuinitas maximo profanaretur opere, atque ſumma afficeretur contumelia, quod inter Chriſtianos uel cogitatione ſaltem uolui, ſceleratiſſimum habetur, Comp. LVTH. in *Catech. maior. ad II. et III. Praecept.* PACICHELL. de *Laruis c. 7. pag. 102.*

CAP. IV.
SECT. II.
DE
IVRE RERVM.

§. I.

Non est mascheris utendum, quibus diuinitas, uel facies Dei O. M. adumbratur.

POstquam hactenus, quae ex primo Iuris capite ad nostrum institutum accersiri possunt, exposuimus, iam porro ad secundum accedendum, quod in rebus occupatum, atque ubi eo elaborandum, ut, quae huc spectent, eruamus. Quod dum facimus, in memoriam reuocandum est, res omnes diuini esse, uel humani, iuris, quae rerum diuisio hic erit commodissima. Res uero diuini iuris omnes illas hic dicimus, quae ad cultum diuinum, externum scilicet, pertinent, ut omnia ordine, decenterque, in coetu numen colentium fiant, ut in rebus sacris iustitia legitime administretur, ut denique Deo, quod suum est, atque extrinsecus debetur ipsi, tribuatur. Quam rem egregie exponit B. ZIEGLERVS de *Iur. Maiest. lib. 1. c. 13. th. 14.* ubi et de interiori cultu, quantum huc spectat, erudite agit. Nostrum est, iam examinare, quomodo laruis utendum, ne in rebus peccemus, quae diuini iuris esse, dicuntur. Quod dum facimus, tum ad ipsas mascheras, tum ad locum, tum etiam ad tempus, quibus locus mascheris est, ordinis caussa respiciendum. Ac, quod quidem ad mascheras ipsas

attinet,

attinet, ante omnia illud notandum, non esse licitum mascheris uti, quibus diuinitas, uel facies Dei Optimi Maximi, adumbratur. Nam, etsi nequaquam dixerim, peccatum esse, Deum, qui nec uideri corporis oculis, nec repraesentari potest, eo modo, quo se in ecclesia, assumta quadam figura, hominibus patefecit, pictura uel sculptura proponere. e. c. Deum Patrem sub forma senis, Filium de cruce pendentem, Spiritum S. in columbae forma apparentem ex *Daniel. VII. u. 9. et Matth. III. u. 16.* quod quidem Reformati putant, satis tamen a multis refutati, Vid. KOENIG. *Cas. 3. consc. ex orat. domin.* BALDVINI *Casus consc. L. II. c. 2. c. 2.* Quamuis etiam non existimem, illicitum esse, in spectaculis, quae pietatis et uirtutis caussa ad imitationem et instructionem iuuentutis aut rudis populi, exhibentur, eiusmodi repraesentationes fieri, in qua sententia TERTVLLIANVS *Lib. 6. de Spectaculis*, fuisse uidetur: *Iam uero ipsum opus personarum*, inquiens, *an Deo placeat, qui omnem similitudinem uetat fieri, quanto magis imaginis suae etc.* Conf. BALDVIN. *d. l. Lib. IV. c. 1. c. 2.* TELLEZ ad *C. 12. X. de uit. et bon. Cleric.* nemo tamen tam impius erit, qui et patiatur se adduci, ut existimet, ad iocos etiam conciliandos adhiberi posse eiusmodi personas et uanam uoluptatem. Quod dum fieret, nomen Dei sanctissimum, ipsaque diuinitas maximo profanaretur opere, atque summa afficeretur contumelia, quod inter Christianos uel cogitatione saltem uolui, sceleratissimum habetur, Comp. LVTH. in *Catech. maior. ad II. et III. Praecept.* PACICHELL. de *Laruis c. 7. pag. 102.*

§. II.

Nec iis, quae ueri aut fictitiorum Deorum similitudinem gerunt.

Neque enim, quod exteris gentibus placuit, quibus, ſimulacra Deorum in ludis et Bacchanalibus circumferri et repraeſentari, uolupe fuit, Chriſtianis placere poteſt ac debet, qui de ueri Dei cultu ex Sacro Codice ſunt inſtituti. ALEXANDERI AB ALEXANDRO, *Gen. Dier. Lib. 6. c. 19. pag. m. 628.* Quam ob rem, ſi quis fortaſſe, Dei Patris, uel Filii crucifixi, imaginem prae ſe ferens, ad laruatos accederet, non tantum eiiciendus ſtatim, uerum etiam ſeuera poena afficiendus. De cetero Deaſtrorum, Iouis, Mercurii, et ſimilium, perſonas indui ab illis, qui laetitias has ſectantur, ſaepe numero uidemus. Cuius quidem rei nullum nouimus interdictum; ſatius tamen eſſe, et horum nomina, et imagines e republica Chriſtiana eiici, a multis iam dudum oſtenſum eſt, MANZ. *Dec. Pal. qu. 50. num. 34.*

§. III.

Nec angelorum et uirorum ſanctorum.

Eadem dicenda ſunt de perſonis illis, quibus ſanctorum angelorum, B. Mariae, uirginis, Patriarcharum, ac Apoſtolorum, Martyrum, et aliorum ſeruorum Dei, effigies ſiſtuntur, qui aeterna uita apud Deum iam fruuntur. Namque, licet his nullus cultus religioſus, quem quidem nonnulli illis exhibent, debeatur, teſte ipſo Angelo in *Apocalypſ. Ioan. XIX. 10. XXII. 9.* memoria tamen ipſorum ſancta apud nos eſſe debet, qui tum quotidiana cuſtodia, quod Angeli faciunt, nos iuuant *Ebr. I. 14.* tum exemplo ac doctri-

na

na praeiuerunt, quosque Deus ipse honore tanto, quo fruuntur, dignos iudicauit, *Augustan. Confess. art. 21. et Apolog. eius p. 223.* Parum tamen sancta ea memoria foret, quin potius obscuraretur, labefactaretur et offensioni esset, si quando per iocum et ludibrium illos ante oculos ponere nobis uelimus. CARPZ. *P. Crimin. P. I. qu. 45. num. 73.* Alioquin, si in huiusmodi spectaculis, de quibus supra dictum, non per iocum angeli humana forma, ac sancti, et martyres, in bonum finem et ad imitationem sistantur, nihil illiciti secum ferunt, PACICHELL. de *Laruis. c. 7. p. 95.*

§. IV.

De angelis uero quum hic dicimus, malos etiam esse, cuilibet in mentem uenit. Qua occasione illa quaestio nascitur: Vtrum istorum daemonum laruas induere liceat? Sane ex iisdem rationibus, quibus in antecedentibus usi sumus, negari id nequit. Neque enim honos nec cultus illi genio, et Deo et hominibus infensissimo, debetur. Sed alia tamen adest ratio, quae Christianum deterreat ab eiusmodi laruarum usu. Quodsi enim quilibet, qui uel minimam salutis suae curam habet, malorum geniorum consortionem in igne aeterno abhorret, quae tandem caussa est, quamobrem, eorum facie per iocum incedere, in deliciis habet? Propterea concludo, personas, daemonia prodentes, non esse permissas, cum INNOCENTIO III. ad *cap. Cum decorem 12. X. de uit. et honest. cleric.* ibi: *monstra laruarum* NEVIZAN. in *Sylu. nupt. lib. 4. n. 70. pag. m. 315.* PACICHELL. de *Laru. c. 7. p. 97.* Sane pessimum

Nec malorum geniorum.

peſſimum hominis genium ſapit, qui ſimilitudine actionum adeo ſe illis adiungit, ſecundum *Can. Nullus 35. Diſt. 5. de Conſecr.* Atque id etiam efficit, ut alii, obuii his qui fiunt, terrore quodam percellantur, atque grauidae feminae ſaepenumero cum foetibus, quos in utero habent, in maximum uitae periculum praecipitentur. Adeſt inſidiator ille, ac tanquam leo rugiens omnia peruadit, *1. Pet. V. 8.* ut pios rapiat animos ad inferos, nec opus eſt, ut per laruas et maſcheras in ſocietatem uocetur. Non peſſime Germani noſtri aiunt: *Man darff den Teuffel nicht an die Wand mahlen, oder ihn in einer Maſque repraeſentiren, er kommt ſchon ſelbſten.* Vt adeo probare non poſſim S. THOMAM *2. 2. qu. 43. a. 3.* ioci cauſſam excipientem. Sane caſus tragici quam plurimi extant, qui docent malum genium ipſum perſonatis iſtis daemoniis ſe immiſcuiſſe, maleque ceſſiſſe ludos hoſce, qui longa ſerie legi poſſunt apud BEYERLINCH. in *Theatr. uit. hum. lit. b. fol. 94. I. 26. et M. 719.*

§. V.

Nec miniſtrorum uerbi.

Miſſis his geniis, a quorum ſocietate cuſtodiat nos Deus! redeamus ad miniſtros Dei, et illos quidem, qui in coetu militante his in terris ſacra munia ſubeunt. Gaudent hi apud omnes peculiari habitu, ut a reliquis diſtingui poſſint, *c. 2. X. de uit. et hon. cleric. et Clem. 2. eod. tit. itemque Receſſ. Imper. de an. 1500. Rubric. von Vberflüßigkeit der Kleider §. pen.* ZIEGL. ad LANCEL. *L. 1. tit. 12. §. 10. ac religio diuina alterum habitum in miniſterio altaris habeat, alterum in communi uita*, ut ait D. HIE-

D. Hieronym. in *cap. XLIV. Ezech.* Horum habitum, illum praeſertim, quo, cum ſacra obeunt munia in coetu credentium, uerbum Dei annunciant, Sacramenta adminiſtrant, etc. utuntur, ſi perſonati inter eiuſmodi mundi delicias imitentur, ſacrum illudunt ordinem, cui tamen honor merito debetur, immo ipſe Deus, cuius miniſtri ſunt, contumelia afficitur inſigni. In iure noſtro Ciuili extat textus in *Nou. 123. c. ult.* in quo prohibetur, *ne quis in uita ſeculari conuerſantium, et maxime theatralia exercentium, uirorum et mulierum, nec non etiam proſtantium, ſchemate monachi, aut monaſtriae, aut aſcetriae, aut cuiuſcunque perſonae utatur, ſub poena corporalis ſupplicii et exilii.* Quorſum etiam pertinet *l. 4. C. de Epiſc. audient.* Vtroſque textus in partes uocat Glossa ad *capitul. 12. X. de uit. et honeſt. cler.* Ad quod capitulum Barbosa notat, quod homo, mundanis negotiis deditus, utens religioſa uirorum aut mulierum ueſte, ludibrii et uituperii cauſſa, mortis noxam ſibi contrahat, et grauiter puniatur. Quae deciſio, etſi de profeſſis monaſticam uitam agat, recte tamen ab aliis, ad omnes ſacerdotum et clericorum habitus, extenditur a Lavdensi, *c. 1. §. fin. quibus modis feud. amitt.* Balthas. de Angel. in *Apparat. ad l. 4. C. de Epiſc. aud. num. 4. et 5.* Pacichell. de *Laru. c. 5. p. 72. et c. 7. p. 98.* Immo et *Decretum Romanum*, quod iam ſaepius in partes uocauimus, *§. 4.* diſerte prohibet, ut ne illi, qui maſcheras induere uolunt, utantur habitu Eccleſiaſtico, uel religioſo uero uel ficto. Qualem conſtitutionem in aula Sereniſſ. Magni Ducis Hetruriae extare docet Paci-

CHELL. de *Laru. c. 8. p. 122. 123.* Atque adeo non licebit Romani Pontificis, Purpuratorum patrum, Episcopi, atque aliorum Praelatorum perſonas in laruis agere, PACICHELL. *d. l. c. 5. p. 75.* ubi *Can. 16. Synodi octauae* in partes uocat, quem bene explicat NICETAS PAPHLAGO in *Vita D. Ignatii Martyris:* nec Heremitarum, RICCIVLLVS de *Perſon. quae in ſtat. reprob. uerſantur*, MARISCOTTVS de *Laruis p. 113.* PACICHELL. *d. c. 5. p. 73. 75.*

§. VI.

Nec inter Proteſtantes.

Quae omnia quidem inter Romano-Catholicos, qui ordini Eccleſiaſtico magnum honorem tribuunt, dubio procul locum inueniunt adhuc hodie. Inter Euangelicos tamen, ſicubi maſcherarum uſus eſt, liberius uidemus, perſonas clericorum Pontificiorum agi. Sed exiſtimo tamen, per tabulas pacis Veſtphalicae id licitum haud eſſe in Germania, quandoquidem *art. 5. Inſtrum. Pac. Monaſterio-Oſnabr. §. 35. Siue autem etc.* diſerte cautum, ne ſiue Catholici, ſiue Auguſtanae Confeſſioni addicti, ob religionem deſpicatui habeantur, quod certe fit, ſi quando eiuſmodi perſonae introducantur. Nec tamen etiam ex eadem ratione Catholicis conceſſum eſt, miniſtrorum Eccleſiae Euangelicorum perſonas induere, atque illis per iocum uti. Vtraque enim religio in Imperio Rom. Germ. toleratur, nec ulla alteram conuitiis proſcindere debet.

§. VII.

Nec Doctorum et Pro-

Ceterum, qua ratione Clericis iungantur Doctores,

ctores, ſupra dictum eſt. Eadem ratione et hic eorum habenda eſt ratio, dum nempe, et illicitum eſſe, Doctores per maſcheras repraeſentari, multi uolunt, PACICHEL. de *Laru. c. 5. p. 73.* quod ad ſeruandum decus ordinis facit, qui hodie multis praeter ius et fas uileſcere uidetur. Id quod ſane multo magis ad habitus ſolemnes, quibus Profeſſores in quibuſdam Academiis etiam Germanicis, magno cum decore utuntur, et omnium maxime ad ornatum Rectoris Academici pertinebit. Ante uero, quam hic abeamus, non poſſum mihi temperare, quin lepidam hiſtoriolam addam, quam recenſet MANZIVS, *Deciſ. Palat. Quaeſt. 50. num. 45. Quidam Cardinalis, in ſuo conclaui cum uiro quodam pio et docto iocatus, ei ſuam tunicam et rubrum pileum induit, cumque ſuperueniſſet S. Pontifex, et cum in habitu Cardinalitio deprehendiſſet, pro poenitentia ei iniunxit, ut Cardinalis eſſet et maneret. Quam multi haud grauate ita luderent, eandemque poenitentiam gratanter acciperent!*

feſſorum habitu in primis ſolemni.

§. VIII.

Enim uero, uelut ſupra indicauimus, illicitum non eſt, fieri a Clericis etiam ſpectacula rerum piarum et ſolemnitatum fidei, ut natiuitatis et paſſionis Domini, uitae et mortis ſanctorum, cum haec ſpectacula non ad laſciuiam et uoluptatem tendant, ſed ad inſtruendum ac commouendum populum, et iuuentutem ad pietatem et reuerentiam excitandam, atque imitationem, ut indocti ibidem diſcant, quod in libris legere nequeunt, *Gloſſa* ad *Capitul. 12. X. de uit.*

Spectacula rerum piarum pia non prohibentur, ſed impia.

et honest. cleric. TELLEZ. *ibid. in Comm. num. 5.* At tamen omnes mecum fatebuntur, inter illa gaudia, quae a mascheratis per iocum agi solent, impium esse, eiusmodi sanctissimas historias per mascheras, ioci et animi caussa, sisti, quippe quae profanant res sacras illas, atque tanquam pessima exempla plebis animos corrumpunt. Multo magis autem haec omnia de sacramentis Christianae Ecclesiae ueniunt dicenda, atque adeo minime personatis licet, eiusmodi actionibus sacramentalibus, baptismi uel sacrae coenae, uel uerbis, sacramentorum usui a Deo et ecclesia destinatis, abuti. Quod flagitium blasphemiae genus est, et seuerissime punitur, CARPZOV. in *Pr. Crimin. P. 1. q. 45. n. 100.* Qualis casus aliquando Iuridico Ordini in Academia Vitembergensi oblatus fuit. Immo eiusmodi uerba et actiones sacramentales, et a ludis illis sacris, quorum supra mentionem fecimus, merito abesse debent. Vid. PACICHELL. de *Laru. c. 7. p. 97.* Pariter nec uestibus sacris ipsis, ac aliis rebus, ad cultum diuinum proxime destinatis, ueluti calicibus etc. in finem hunc uti licebit. Quod si enim hae res semel dedicatae, ad usum profanum, nisi ex summa necessitate, §. *8. l. de R. D.* ubi *Dd.* reduci non debent, multo minus ad res ludicras usurpari. Confer. DN. PARENS, *Oeconom. Iur. Lib. 2. Tit. 1.* §. *2. pag. 205.* Sane id, quod Belsazari contigit, *Dan. V. u. 5. seq.* omnes ab hac libidine deterret.

§. IX.

Spectacula non instituenda in aedibus sacris, et scholis.

Ordo nunc postulat, ut de loco mascherarum, ratione rerum diuini iuris, simus soliciti. Equidem olim theatrales quoque ludi et laruarum ludibria aedibus

bus ſacris ac templis inferebantur Chriſtianis, uerum id omne poſtea canonica cura ſublatum eſſe, ſatis certum. Prouocant hanc in rem *Dd.* ad *capitul. 12. X. de uit. et boneſt. cler.* ex quo hanc regulam producunt: *Ludi theatrales et laruarum monſtra, ne quidem ſub praetextu conſuetudinis* (quae nec conſuetudo, ſed corruptela potius, dicenda) *Eccleſiis inferri debent.* Quam ſententiam uariis conciliorum decretis firmat, eiuſque rationes expendit TELLEZ ad *d. cap. 12.* Praeſertim uero huc ſpectat Concilium *Bracarenſe 2. Can. 60.* ibi: *Si quis balationes ante Eccleſias Sanctorum fecerit, ſeu quis faciem ſuam tranſformauerit, uir in habitu muliebri, et mulier in habitu uiri, tres annos poeniteat.* THOLOSAN. de *Republ. lib. 13. cap. 21. num. 15.* BARBOS. ad *d. cap. 12. X. de uit. et boneſt. cleric.* Sane domus Dei, domus orationis eſt. *Eſ. LVI. 7. Ierem. VII. 11. Luc. XIX. 46.* atque adeo nec illas res, quae alioquin licitae ſunt, aut mediae, in illa fieri decet, ne dum ludicras, foedas ac profanas, nec colloquia inania, balantiumque uoces, aut uitulantium ſtrepitus ibidem debent exaudiri. Huc pertinet pars illa nuperi mandati Regii, ſub dato Dreſdae, *d. XXIII. Nou. 1728.* emiſſi et apud nos *VIII. Idus Decembres eiuſd. ann.* editi, qua quidem illis, qui ſacra, uel deiiciendo res quaſuis ex alto, uel diſcurſitando in ſublimioribus templorum ſtationibus, uel loca, foeminis deſtinata, occupando, turbant, ſeuere edictum eſt, fore, ut beneficiis priuentur ad unum omnibus, ex Academiis eiiciantur, omnique futurae promotionis ſpe orbentur. Quod ſi etiam clerici et miniſtri eccleſiae, ut ſupra euictum, laruatis

tis choreis non adesse debent, uel interesse, qua tandem ratione permitti potest, ut in ecclesiis ipsis, quibus clerici seruiunt, et, praesentibus iisdem, tale quid fieret? Atque, etsi nonnulli ludos sacros et spectacula tandem in templis quoque a piis hominibus edi posse, concedant, dummodo modestia et pietas ea comitetur, et ad aedificationem fiant; TELLEZ *d. l.* nemo tamen ludos illos, qui, exhilarandi tantum caussa, a personatis instituuntur, et cum abusu magno sunt coniuncti, opera, aedibus sacris digna, censebit. Vid. PACICHELL. de *Laru. c. 7. p. 95.*

§. X.

In primis quando sacra celebrantur.

Quae uero de templis diximus, a laruis uacua esse debere, omnium maxime tum locum habent, quando sacra celebrantur, quae turbari a laruis non debent, adeo, ut tales proterui homines, qui laruati coetum ecclesiae intrant, tanquam turbatores sacrorum puniendi ueniant, de quibus CARPZ. *Pr. Crimin. P. I. q. 44. n. 51.* Atque, cum et ecclesia ibi sit, ubicunque duo uel tres in nomine Domini Iesu Christi congregantur, orandi et cultui diuino uacandi caussa, *Matth. XVIII. 19. 20.* licet extra locum publicum id fiat, *ex. caus.* si ex permissione illius, cuius est haec potestas, matrimonii solemnis inauguratio εὐλογία fiat, nullum penes me est dubium, et huncce coetum non deberi laruatorum ingressu turbari. Quae uero de templis dicta, illa etiam de aliis piis locis ac religiosis, scil. monasteriis seu religiosis domibus, aedibus et collegiis Canonicorum, ac Academicis, itemque

Paro-

Parochorum atque aliorum clericorum Xenodochiis, Scholis, coemeteriis, aliisque, dicenda ueniunt. Quae quidem in ſenſu accurato non omnes res ſacrae uel religioſae dici poſſunt, licet ſine diſcrimine haec nomina ſaepe numero de iiſdem uſurpentur. Vid. B. ZIGLER. ad LANCELOT. *lib. 2. tit. 17.* Etſi autem eiuſmodi locis forte tantus honos, quantus templis, non habeatur; quoniam tamen in hiſce omnia modeſte fieri decet, et ſine omni occaſione offenſionis; coemeteriis praeſertim, licet alia, quam apud gentiles, ratione, quaedam religio ineſt, *Dd.* ad §. *9. I. de R. D.* iura eccleſiarum ad haecce loca quoque, uti alias, applicanda ſunt. Immo *Conſtitutio Romana* §. *8.* uult, ut ne ante templa quidem, monaſteria, et alia loca pia, eiuſmodi ludi fiant, aut permittantur, quod et *Canon Concilii Bracarenſis* exigit, ſupra iam commemoratus.

§. XI.

Quando quis laruatus obit, nec licitus fuit laruarum uſus, honeſta ſepultura priuatur.

Cum de coemeteriis dictum, uenit in mentem: Num, ſi forte ſub larua diſcurrens ſubita morte abripiatur, quod ſtudioſo contigiſſe, MANZIVS ſcribit *Deciſ. Palat. Qu. 50. n. 46.* uel ſi, incenſis ueſtibus, quod aliquando in Sueuia contigit, eodem MANZIO, GESNERO, aliiſque auctoribus, bacchantes pereant; honeſta ſepultura cadauera haec digna ſint? Sane ſaepe cum MANZIO dubitare licet, quo animae abierint, num ad laruatos et deformes genios, an ad Deum, ad cuius imaginem homo formatus, ac qui tales homines iudicat, quales inuenit? In cuius deciſione ante

te omnia diſtinguendum, num uſus maſcherarum licitus et permiſſus ſit, an prohibitus. Vltimo caſu uix eſt, ut eiuſmodi homini, qui in re illicita ſubito interemtus eſt, honeſta ſepultura concedatur. Id quod probari poteſt ex *cap. 1. X. de Torneam.* quod et tum denegat honeſtam ſepulturam, ſi maxime adhuc tantum temporis illi ſuperfuerit, quo poenitentiam agere potuerit, *dict. cap. 1. et 2. X. Eod.* Quae ſententia eo magis tum obtinebit, quando actioni malae ac illicitae huic, alia adhuc peior, uel aeque mala, acceſſit. Priori caſu, antequam hic aliquid definiatur, probe omnia, quae perſonam eius, conditionemque, uitam anteactam, formam maſcherarum, actioneſque ſub eadem, circumſtant, ſunt conſideranda. Nam, uti non exiſtimarim, uirum alias probum, qui animi cauſſa laruam induit, nihilque illiciti ſub ea agit, et, ſi in ipſa larua offenſionis nihil ſubeſt, ſepultura honeſta priuandum; ita non negauerim, caſus dari poſſe, ubi propter alia, quae incidant, e. c. ſi ſub larua libidini operam dedit, uel alios uulnerauit, iuſte honeſta ſepultura denegetur. Quae aeſtimare, prudentis eſt iudicis.

§. XII.

Nec laruatis licet murum aſcendere.

Romano iure, muri rebus diuini iuris quodammodo accenſebantur, eo, quod ueteres credebant, Deos tutelares muros inhabitare. De portis, an diuini iuris habitae fuerint, dubitatur, quum cadauera et res immundae per illas efferrentur, atque in portis condendis non idem ritus ſacer adhiberetur, ac in

muris.

muris. Vtrosque autem, et portas et muros, Romana νομοθεσία pro sanctis, h. e. pro nullo uiolandis modo habuit, *§. 10. I. de R. D.* ubi VINNIVS et HVBERVS. Illa quidem circa muros superstitio a Christianis ridetur, atque adeo ne muri quidem hoc respectu uacarent a laruatis. Propterea tamen, quod hodie nemini licet muros, uel ualla, transscendere, uel laedere, nec laruatis id licebit, et multo minus quidem, quam aliis, cum sub laruis animus hostilis eo magis occultari possit. Vid. *Dd.* et HOPP. praesertim ad *d. §. 10. I. de R. D.* item DN. PARENS, in *Oeconomia Iur. Lib. 2. Tit. 1. §. 4. pag. 211.*

§. XIII.

Deueniendum iam ad tempus, cuius respectu, ne id, quod diuini iuris est, laedatur, mascherarum usus uel uiget atque concessus est, uel impeditur ac prohibetur. Quo loco quaestio se sistit: An diebus festis, diuino cultui destinatis, mascherarum usus sit licitus? Apud exteros nihil magis receptum, quam ut in Deorum Dearumque, Bacchi maxime, festis diebus, laruati homines per urbem cursitarent, aliisque uoluptatibus nauarent operam, HERODIANVS, *L. I. Hist. p. m. 16.* CENSORIN. *Lib. de Die Natal.* ALEXANDER AB ALEXANDRO, *lib. 6. c. 19.* VALERIVS, *lib. 2. c. 5.* PACICHELL. de *Laruis c. 3. pag. 43.* KIPPING. *Antiqu. Rom. L. 1. cap. 10. §. 11.* Dignus profecto cultus superstitione et impietate, et Diis atque Deastris, quos stultitia eorum colebat, in quam Dei quoque populus incidebat, quando post hostias, uitulo immolatas, absente Mose, sedit ad man-

Externae gentes, diebus in primis festis, laruis utebantur.

ducandum ac bibendum, et ſurrexit ad ludendum, *Exod. XXXII. 6.* *Namque ſicuti non probauerunt habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut facerent, quae non conuenirent, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, etc.* ut loquitur *Apoſtolus ad Rom. I. 28.*

§. XIV.

Non, qui Chriſtum ſequuntur.

Chriſtianos alia decent, aliuſque cultus diuinus his cordi eſſe debet. Nam etſi optime illi intellexerunt, ſuperſtitioſam illam et craſſam diei Sabbathi obſeruationem, eamque ad diem hebdomadis ultimam perpetuo alligatam, uti et reliquorum dierum feſtorum, quos Moſaica lex praeceperat, poſt reuelatum Euangelium per aduentum Meſſiae, ad ſe non amplius pertinere, ex Apoſtoli monito: Propterea tamen, quod opus erat, certum diem conſtitui, ut ſciret populus, quando conuenire debeat ad uerbum Dei audiendum, et preces publicas fundendas, prima eccleſia diem ſolis, quo ſurrexit Dominus a mortuis, ei rei deſtinauit, atque illi alios poſtea dies, quibus diuina populo beneficia in memoriam reuocarentur, adiunxit. Mandatum autem, quod tertio praecepto ineſt, certi diei ad cultum diuinum conſtitutionem requirebat, quod obligat omnes homines, etſi circumſtantia ſeptimi diei ad populum Iudaicum, et quidem ueteris inſtrumenti, ſolum pertineat, Vid. *Auguſt. Confeſſ. p. 43. eiuſque Apolog. itemque Catechesis* LVTHERI *praecept. III.* Lege DN. PARENT. *Diſquiſit. Vtrum a Princip. temp. poen. adult. poſſ. Part. II. Supplement. Iuriſpr. Crimin. §. 19. p. 563.* Quicunque ergo dies hanc in rem eſt deſtinatus, ille

eſt

eſt celebrandus, eoque praecipuum aliquod ſanctarum rerum exercitium, quod quidem et alio die alias fieri poteſt, ſuſcipiendum. Ideoque peccant illi, qui profanis ea die operibus abutuntur, eamque impie profanant. Cuius furfuris illi ſunt, qui, praua abrepti libidine, uerbum Dei non audiunt, aut in tabernis uinariis ferinam degunt uitam. Extant de hac diei ſolis obſeruatione, aliorumque ſacrorum dierum, uariorum Imperatorum Chriſtianorum conſtitutiones, et quidem iam CONSTANTINVS in *l. 1. C. Theodoſ. de feriis*, *diem ſolis*, ut uocat ex uulgi appellatione, in ecclesia quoque uſurpata, obſeruante IAC. GOTHOFREDO, *uenerationis ſuae celebrem* appellat, atque in *l. 2. C. Theodoſ. de ſpectacul.* THEODOSIVS M. *in oriente ita conſtituit, ut nullus ſolis die populo ſpectaculum praebeat, nec diuinam uenerationem, confecta ſolemnitate, confundat.*

§. XV.

Quin immo et in occidente, ac nominatim in Africa ita ab HONORIO, Imperatore, idem ſanciri, patres Africani aliquando petiere, ut docet *Can. 61. Concil. Afric.* Poſtea THEODOSIVS IVNIOR in *l. 5. C. Theodoſ. de ſpectacul.* haec conſtituit: *Dominico, qui ſeptimanae totius primus eſt dies, et Natalis, atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchae etiam et Quinquageſimae diebus, quamdiu coeleſtis lumen lauacri imitantia nouam ſancti baptiſmatis lucem ueſtimenta teſtantur, quo tempore et commemoratio Apoſtolicae paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtrae, a cunctis iure celebratur, omni theatrorum atque circenſium uoluptate, per uniuerſas urbes earundem populis denegata,*

Id et ab occidentalibus Imperatoribus mandatum.

totae Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. Si qui etiam nunc uel Iudaei impietatis amentia, uel stolidae paganitatis errore atque insania detinentur, aliud esse supplicationum nouerint tempus, aliud uoluptatum. Ac ne quis existimet in honorem Numinis nostri, ueluti maiori quadam Imperialis officii necessitate compelli, et nisi diuina religione contemta, spectaculis operam praestat, subeundam forsitan sibi nostrae Serenitatis offensam, si minus circa nos deuotionis ostenderit, quam solebat, nemo ambigat. Quod tunc maxime mansuetudini nostrae ab humano genere defertur, cum uirtutibus Dei omnipotentis ac meritis uniuersis obsequium orbis impenditur. Dat. Calend. Febr. Constantinop. Theod. XI. et Valentin. Caes. Conss. Sed, quoniam hae constitutiones absunt a nostro codice, quo utimur, audiamus Imperatores, LEONEM et ANTHEMIVM, in *l. ult. C. de feriis: Dies festos, Maiestati altissimae dedicatos, nullis uolumus uoluptatibus occupari etc. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus et uenerandum etc. Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, obscoenis quenquam patimur uoluptatibus detineri, nihil eodem die sibi uindicet coena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula, et, si in nostrum ortum, aut natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur etc.* Ita nempe hi principes magis Dei honori, quam suo, uelificandum esse, pie existimarunt. Quibus addenda iuris Canonici dispositio, quod ab omnibus operibus mundanis, nisi necessitas urgeat, uel pietas suadeat, diebus festis abstinendum esse, putat *Capitul. 5. X. de feriis.* Vt taceam uarias Principum et Magistratuum Euangelicorum constitutiones,

de obſeruatione Sabbathi ſolicite agentes. Vid. Carpz. *Iuriſpr. Eccleſ. lib. II. tit. 16. def. 250. ſeqq.* Quibus adde *Reſcripta ad Praefectum Ileburgenſem d. 17. Mart. 1699. d. 18. Mart. 1711. data, et Mandatum Regium uniuerſale d. 6. Maii. 1721. promulgatum.* Ex quibus omnibus facile colligi poteſt, quid ſentiendum ſit de ſupra a nobis propoſita quaeſtione. Illud nempe, die Dominica et aliis diebus feſtis, cultui diuino dicatis, ceſſare debere plane uſum maſcherarum. Id quod etiam *Conſtitutio Romana* §. 3. uult, quae prohibet, ne die Dominica, et aliis diebus ſacris, laruae concedantur, immo nec die Veneris, quam uocant, qui tum apud Romano-Catholicos, tum apud nos, ubi per LL. publicas tabernas uidemus clauſas, uſque dum ſacra ſeu conciones matutinae finitae, ſuo modo ſacer eſt, atque ſacris poenitentialibus deſtinatus, ſub poena triplicis tractus funis, iactura ueſtium et 100. ſcutatorum aureorum. Et Mediolani, quo quaelibet quoque ſeſe perſonandi iocoſa proſtat figura, Dn. Carolus Borromaeus, ne diebus feſtis uenderentur aut locarentur laruae, paſtorali decreto ſanciuit, de quo *Acta Eccleſ. Mediol. p. 1. fol. 85. col. 1. et pag. 3. fol. 434.* Pacichell. de *Laru. c. 6. p. 82.*

§. XVI.

Quod uero de diebus feſtis diximus, illud etiam de iſtis intelligimus, qui memoriam B. Virginis et ſanctorum recolunt. Nam, etſi hos feſtos dies pia antiquitas, ut recte Noſtri ſentiunt, minime propter cultum ſanctorum introduxit, ſed in honorem Dei, *Item diebus, memoriae B. Virginis et ſanctorum deſtinatis.*

cui gratia referenda, quod per ſanctos homines uerbum ſuum praedicari, atque ab illis alia in honorem ſuum fieri uoluerit, atque in memoriam ſanctorum hominum, atque illorum, quae ab illis bene praeclareque geſta ſunt, omniumque horum imitationem; cultui tamen diuino cum hi dies ſemel deſtinati ſint, non licet illis ad uoluptates abuti. Qua quidem parte Romano-Catholicos, dum nimia fere multitudine dierum feſtorum ſibi ipſis fraudi ſunt, peccare, non negauerim, a quibus ideo noſtra Aug. Confeſſio receſſit. Sed tamen non dubito, neque illos recte agere, qui omnes dies feſtos ex eccleſia eliminatos uelint.

§. XVII.

Interdum tamen et diebus ſacris tolerantur.

Equidem non deſunt, qui diebus his feſtis, die quoque Dominica, honeſtas quaſdam uoluptates, per maſcheras permittant, immo etiam comoedias; quos quidem ego non damno, maxime, quod legibus illorum ſententia interdum firmetur. Qualis lex permittens in noſtra *Ord. Eccleſ. art. gen. 17. §. Nachdem etc. Decret. Synod. de ann. 1624. §. So ſind wir ferner etc. uerſ. Gleich wie auch in denen Schützen - Höfen etc. Ord. Pol. nou. de ann. 1661. tit. 2. von Feyerung und Entheiligung des Sabbaths. et Reſolut. Grauam. tit. von Iuſtitien - Sachen de ann. 1661. §. 110.* extat, CARPZ. *Iuriſp. Eccleſ. L. II. Tit. 16. Def. 253.* PACICHELL. de *Laru. cap. 6. p. 83.* Sed nemo tamen negabit, caute et magno cum temperamento haec eſſe permittenda, neque ad illa trahenda, quae magnam uanitatem prae ſe ferunt, atque uix ſine offenſione aliiſ-

aliiſque malis poſſunt fieri, quale quid eſſe maſcherarum uſum, nemo, ſperamus, inficiabitur. Vt adeo cum illis non faciam, qui nimis acerbum exiſtimarunt cuiuſdam Epiſcopi decretum, quo penitus et ſine omni exceptione choreas et laruas diebus feſtis interdixerat ac prohibuerat, referente HOMOBONO in *de Exam. Eccleſ. Tract. 15. qu. 28.* Nam licet maſcherae non redoleant, ut aiunt, opera ſeruilia, atque ideo non putent, ſacro tempore eſſe eliminandas: ſapiunt tamen atque ſecum ferunt multa ſcurrilia, quorum occaſio a diebus feſtis maximopere reiicienda, ARMILLA in uerbo: *chorea et larua*, AZORIVS, *Inſtit. Moral. P. 3. lib. 3. c. 26. qu. 2.* PACICHELL. de *Laru. c. 6. n. 81. et 82.* Omnium uero abſurdiſſimum foret, ſi quis diebus poenitentialibus, quibus Deus propitiandus eſt publicis communibuſque precibus, perſonatus uicos aedeſque percurrere uellet, qui ſane impietatem ſuam ſatis proderet, cum, nec publicis malis, nec ſuperiorum iuſſu, nec aliorum exemplis, adigi poſſet, ut ſpeciem ſaltem pietatis tantiſper prae ſe ferret, ſed peſſimam palam oſtenderet mentem.

§. XVIII.

Nec horis cultui diuino deſtinatis laruis indulgendum.

Quoniam autem inter Chriſtianos, diebus quoque non-feſtis, certae cultui diuino horae deſtinantur precibuſque publicis; parum conueniens eſt, eo tempore eiuſmodi iocis uacare. Sane, ſacram congregationem Epiſcoporum ac regularium ſcripſiſſe Apoſtolico Viſitatori Regni Corſicae, itemque Epiſcopo Comenſi: *Tempore ſacri miniſterii, aut horarum cano-*

canonicarum, mascherarum cursum esse suspendendum, etiam extra templum, refert ABBAS IVSTINIAN. in *Constit. lib. 1. tit. 9. cap. 10. §. 10. fol. 96.* quam sententiam probant SAYRVS in *Claui Regia lib. 7. cap. 3. num. 1.* PACICHELL. de *Laru. c. 7. p. 94.* Tempore pariter sacro posse Episcopum sub deuotionis poena choreas inhibere, quascunque cum laruis et ubicunque deprehendat, docet FILLIVC. *Tract. 30. in 6. scilicet praecept. n. 223.* et GENVENSIS in *Manual. Pastor. c. 89. num. 3.*

§. XIX.

Laruae natalitiae improbantur.

Sed descendamus, cum occasio ferat, ad quaedam specialiora circa tempora dierum festorum. Vbi quidem circa diem natalem Christi illud quaeri posset: *Quid de laruis natalitiis, quibus infantes nostri terreri solent, sit habendum?* Scilicet quilibet nouit, passim, instante die natali Domini, uel uigiliis huius diei, discurrere personatos homines, qui Deum Patrem, Apostolos, Angelosque, et, nescio quem, Rupertum, uel diabolum potius, repraesentent, uestibus etiam, ad usum sacrum destinatis, utantur, atque Dei uel Christi nomine, xenia infantibus afferant, immorigeros etiam castigent. Quae res in Paganismo primo originem et incrementa cepit, atque inter alios, etiam Lutheranos, multis in locis superest. Immo publica autoritate toleratur, propterea, quod creditum est, infantes ita per spem et metum in officio contineri, ac immorigeros ad frugem reduci posse. At diffitendum non est, ipsam hancce rem, quamcunque speciem boni habeat, multis abusibus scatere,

atque

atque offenſionibus, maliſque exemplis, ſacro iſto tempore, dare occaſionem. Namque ita tenera aetas falſa et impia perſuaſione, de Deo rebuſque diuinis, ineptis ac praeiudicatis opinionibus, cultuque idololatrico imbuitur, Deo ac ſancto Chriſto uaria tribuuntur, quae eſſentiae diuinae, eiuſque attributis repugnant, atque iniuriae ſunt. Quid! quod et Rupertum illum agentes, ea perpetrant, quae caſtitati aduerſantur, ut adeo ſatius omnino eſſet, rem iſtam ex Chriſtiana re publica, ob quam plurima, eaque grauiſſima, quibus Chriſtiani animi offenduntur, facinora, penitus eliminari. Legi de hac re poteſt DRECHSLER. de *Laru. Natal.* DANNHAVER. *Part. I. Lact. Catech.* D. WILDVOGEL de *Eo, quod iuſtum eſt circ. Feſt. Natiuit. Chriſt. c. 4. §. 10. ſeq.* Alias uero, diebus ſeptem, qui praecedunt, et ſeptem, qui ſequuntur Natalem Domini, abſtinendum eſſe a iocis illis, quos laruae ſecum ferunt, cum ex dictis patet, tum praecipue ex *l. 2. C. de Feriis. l. 7. C. Eod.* ibi: *neque ſpectaculorum copiam.* Vid. D. WILDVOGEL de *Eo, quod iuſtum eſt circa Feſt. Natiuit. Chriſti. c. 4. §. 6. §. 9.*

§. XX.

Eodem modo facile iudicare licet, quid ſentiendum ſit de *die* illa *ſtultorum*, quam et *Libertatem Decembricam* uocarunt, quam quondam ſecundum IOANN. BELLETTVM in *Explic. diuin. off. c. 120.* ita peregerunt, ut Epiſcopi et Archiepiſcopi in coenobiis cum ſuis luderent ſubditis, et ſe ad pilae etiam luſum demitterent, illamque libertatem ideo dictam Decembricam, *Et dies ſtultorum.*

ſcribit, quod olim apud ethnicos moris fuerit, ut hoc menſe ſerui et ancillae, uelut quadam libertate donarentur, fierentque cum dominis ac dominabus ſuis paris conditionis. Alio modo ſolemnes hos dies deſcriptos reperire licet apud PETR. BLESENSEM, in *Epiſtola*, cuius tenorem exhibet F. NITZSCHIVS *Tom. 3. Ephemer. Erud. 9. §. 4. pag. m. 680.* referens, quod primo anni die aliquis, qui ſtultorum epiſcopus creabatur, officio ſuo defunctus fuerit habitu Pontificali indutus, reliqui laruis perſonati choreas egerint, comederint, luſerint, cum fumo calceos detritos incenderint, pluraque alia ſimilia in eccleſia perpetrauerint facinora. Quo pertinet, quod POLYDOR. VERGILIVS de *Rer. inuent.* habet *lib. 5. c. 2.* *Eſt et illud*, inquiens, *ab Ethnicis ad poſteros profectum, quod nunc per dominica natalitia noſtri miniſtri poteſtatem in dominos habeant, atque unus eorum dominus creetur, cui ceteri familiares laſciuiendo pareant una cum ipſo patre familias.* Contra quam deteſtandam conſuetudinem non ſolum *concilium Pariſienſe* et *Copriniacenſe* interdictum ſub deuotionis comminatione decreuit, cuius uerba refert CAROL. DV FRESNE in *Gloſſar. uerb. Kalendae*, ſed et EVDES DE SVLY, *Epiſcopus Pariſienſis*, ut hunc morem nefandum aboleret, ſub finem ſecul. XII. in eccleſia ſua officia feſti diei, quo circumciſionem Chriſti ſanctiſſimam ſolemni cultu in memoriam reuocamus, fundaſſe dicitur, apud BLESENSEM *cit. loc.* Conf. D. WILDVOGEL de *Eo, quod iuſtum eſt circa feſt. Natiuit. Chriſt. cap. 4. §. 7.*

§. XXI.

§. XXI.

Pariter improbandus erit inſanus ille mos, apud Saxones olim receptus, quo populus nocte natalitia ſaltare et tripudiare ſolebat. Tragicum autem exitum huius inſaniae aliquando fuiſſe, ex Io. TRITHEMII *Chronico Coenobii Hirſaugienſis* ad *annum 1012. pag. m. 47.* diſcimus, ubi ita ſcribit: *Anno Domini 1012. qui fuit abbatia uacante annus decimus, cum Rupertus Preſbyter eccleſiam S. Magni martyris in Saxonia primam in nocte natiuitatis domini miſſam incboaſſet, quidam Otbertus laicus cum aliis uiris 15. et feminis tribus choream ducens in coemeterio, ſecularibuſque perſtrepens cantilenis, celebrantem non mediocriter diſtractum fecit. Quibus cum Sacerdos mandaret per aedituum, ut tacentes ab huiuſmodi leuitatibus in nocte tam ſancta deſiſterent, illique praecipienti non obtemperarent, commotus ille ſtans ad altare ſacro ſanctum dixit: Faciat omnipotens Deus, ut per annum totum ſic ſaltantes manere uos oporteat. Mirabile dictu, quia imprecantis uocem ſecutus eſt ilico effectus, ita per totius anni ſpatium ſaltabant ſine intermiſſione die ac nocte, non edebant, neque bibebant, abſque ſomno manebant, non pluuia ſuper eos cecidit, non frigus, non calor eos, nec laſſitudo affecit. Nulli, quantumlibet interrogati, quicquam loquebantur, ueſtimenta et calceamenta non ſunt attrita. Et primo quidem uſque ad genua, deinde uſque ad femora terrae ſub pedibus conculcatae, uidebantur immerſi. Filius quoque ipſius Sacerdotis cum ſororem ſuam, arrepto brachio de medio ſaltantium uellet cum uiolentia educere, brachium eius de corpore auulſit: illa autem, quaſi nihil paſſa, nec*

Mos ſaltandi nocte natalitia damnatus.

 doluit,

doluit, nec emisit uocem, nec una quidem gutta sanguinis destillauit, sed choream continuauit cum reliquis inceptam. Anno tandem euoluto S. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis ad coemeterium uenit, et saltantes a maledicto absoluit, introductosque in ecclesiam Domino reconciliauit. E quibus feminae mox obierunt, uirorum quidam in breui, qui etiam miraculis post mortem claruisse feruntur, quippe qui duram satis poenitentiam egerunt. Reliqui uero, quibus uiuere diutius licuit, tremore membrorum, quid passi fuerint, ostenderunt. Fides sit penes auctorem. Ad illos uero homines pertinet, quod ex *concilio Toletano III.* relatum a GRATIANO in *decretum Can. 2. de Consecrat. dist. 3. Irreligiosa consuetudo est, quam uulgus per sanctorum solemnitates agere consueuit. Populi, qui debent officia diuina attendere, saltationibus et turpibus inuigilant canticis, non solum sibi nocentes, sed et religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim, ut ab omnibus prouinciis depellatur, sacerdotum et iudicum a concilio sancto curae committitur.*

§. XXII.

Carnisprivium iam olim inter Christianos receptum.

Natiuitatis die praeterlapso, tempus imminet, quod Ecclesia passionis Domini meditationibus destinauit, atque ieiunia quadraginta dierum secum fert. Hocce autem tempus praecedit illud, quod in Romana Ecclesia *Carnipriuium s. Carnispriuium* uocant, quo scilicet ante ieiunia carnibus priuari, et ab iisdem abstinere incipiunt, de quo tempore ita loquitur SERVASIVS TILLEBERIENSIS *Manuscript.* de *Otiis Imperial. P. 3. c. 102. Initium Quadragesimae, quod uulgo carnipriuium nominant*, quem locum DV FRESNE in *Glossario suo* excitat. Qui

Qui et ipse ex BELLETTO notat, peculiariter *secundam dominicam Septuagesimae* dici carnisprivii. Qua dominica maxime clericos et sacerdotes ieiunium quadragesimale apud suos auspicatos fuisse, ait, ex quo dicitur *Carniprivium et Privicarnium sacerdotum*, *scil. dominica, qua mos est sacerdotibus caput quadragesimalis ieiunii solenni esu carnium praevenire*, ut est apud GVILELMVM NEVBRIGENSEM *lib. 5. cap. 10. Necrologium* S. VICTORIS PARISIENSIS. Confer. *cap. denique 6. distinct. 4.* Neque adeo recentem esse illam hoc tempore bacchandi consuetudinem, ex loco NICEPHORI GREGORAE in uita ANDRONICI SENIORIS, qui rerum in occidente potitus est, anno circiter 1281. patet: *Carnisprivium instabat, cum lautioribus conuiuiis et poculis dediti mortales, et uini intemperantia facilius ad seditiones concitantur.* Idem probat locus ABBATIS in uita D. BERNARDI: *Prope erat sacrum Quadragesimae tempus, cum fere omnes iuuenes, dediti militiae seculari, circumibant, quaerentes execrabiles nundinas, quas uulgo Tornetas uocant (hodie Torneamenta) coepit ergo ab iis petere S. Bernardus, ne intra paucos dies, qui ante Quadragesimam supererant, armis uterentur, ac ne quidem laruis, per canonem concilii Rhemensis interdictis.* Ceterum iure Canonico rem istam quodammodo probari, ex *c. 6. dist. 4.* intelligimus, ubi ita: *Denique sacerdotes, et diaconi, et reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, a quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant, quo et aliquid ad pensum sanctae institutionis adiiciant, et eorum, qui in laicali ordine consistunt, obseruantiam, sicut loco, ita religione praecellant. De ipsa uero die dominica, haesitamus, quidnam dicendum*

 sit,

ſit, cum omnes laici et ſeculares, illa die plus ſolito ceteris diebus, accuratius cibos carnium appetant, et niſi noua quadam auiditate, uſque ad medias noctes ſe ingurgitent, non aliter ſe huius ſacri temporis obſeruationem ſuſcipere putant. Quod utique non rationi, ſed uoluptati, immo cuidam mentis laeuitati, adſcribendum eſt: Vnde nec a tali conſuetudine auerti poſſunt, et ideo cum uenia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne forte peiores exiſtant, ſi a tali conſuetudine prohibeantur. Omnia autem haecce inſtituta procul dubio reliquiae ſunt ex Paganiſmo atque ludis Lupercalibus, uel Saturnalibus, uel Megalenſibus, ſimilibuſque, quorſum etiam ſolemnia illa, quae Maiuma uocabant, referunt, quae a Chriſtianis Imperatoribus modo prohibita, modo tolerata fuerunt. Qua de re multa congeſſit IACOB. GOTHOFRED. ad *tit. Cod. Theodoſ. de Maiuma.* PACICHELL. de *Laru. c. 3. pag. 46.* WOLDENBERG. *Diſſ. de Maiuma.*

§. XXIII.

Improbandum tamen. Etſi autem eiuſmodi uoluptates tempore, quo ex ſententia Pontificiorum carne abſtinendum, tolerari poſſint animi recreandi cauſſa, maxime, cum ea anni pars nihil fere habeat, ex quo extra urbes et ruri deliciae quaedam capiantur, ſi modo cum debito temperamento et ſine peruerſo uſu id fiat, ſub illiſque limitibus, quos his rebus ponendos eſſe, ſaepe iam dictum: Satius tamen eſt, appropinquante illo tempore, quod acerbiſſimae paſſionis Seruatoris, eiuſdemque mortis memoriam excitat, tempeſtiue a mundanis his rebus abſtineri, animumque reuocari. Immo

mo toto isto tempore non licitum est, per ecclesiasticas constitutiones, gaudiis mundanis uacare, ita, ut etiam nuptiarum solemnia, et martyrum natales dies cessare, et musica silere debeat, *Canon. Non oportet 8. Canon. Non licet. 9. Canon. Nec uxorem 11. causs. 33. q. 4.* Quid quod *Canon 9. d. l.* a septuagesima nuptiarum solemnia prohibet. *Constit. Prou. Sax. tit. 13. §. Weil auch etc. p. 88. Constit. Sax. Goth. Prou. P. 2. cap. 4. tit. 16.* DVSSEL de *Iure temporis Quadragesimalis §. 74.*

§. XXIV.

An a clerico possit ad arctiores dierum limites restringi.

Sane, qui inter Rom. Catholicos uersatus est, studiose apud illos agi, recordabitur, ne ultra diem Martis ante cineres Bacchanalia ista extendantur, quamuis Mediolani post aliquot dies a cineribus impune producta esse, saepius non inficiatur PACICHELL. de *Laru. cap. 6. p. 82.* Immo uaria excogitarunt ex illis, qui disciplinae ecclesiasticae paulo magis, quam alii, studiosi sunt, ut etiam ante diem illum Martis gaudia haec cessent. Quale quid fecit DN. CAROL. BORROMAEVS, exemplo motus D. BERNARDI, et sacrorum canonum edoctus praeceptis *Concil. Laodicens. 53. et Bracarens. 80. Vnde Patres societatis, laudabili et proficua sane consuetudine, in suis templis, musicis cantionibus, sacrisque sermonibus interpositis, fundunt preces ante uenerabilem Eucharistiam publico ritu expositam postremo carnis priuii triduo, quod praecedit sacrorum feriam quartam cinerum, ad compescendam humanam phrenesin, et diuinam iracundiam placandam.* Quorsum pertinet etiam, quod PACICHELLIVS habet *c. 8. in fin. p. 124. seq. Prudentissime piissimeque*

meque igitur inuectum in praeclarioribus Italiae urbibus, quemadmodum Romae ac Neapoli, ut ſolemniori ac theatrali ſacra pompa uenerabile ſacramentum fidelium cultui hoc tempore ſit expoſitum, ſermonibus additis religioſiſſimis, et muſicis concentibus, quibus populus ab huiuſmodi ſcurrilibus facillime retrahitur, ſpirituſque in diuino amore caleſiunt. Quod poſtremo prope Sac. Cinerum feriam triduo, ubique locorum, ut aliquatenus ſupra ſignificauimus apud Patres Societatis, Carmelitaſque diſcalceatos, laudabiliſſimi quidem eſt moris, orantibus apud illos, ac proceſſionem ducentibus uiris Patriciis piiſſimae ſodalitatis, immo in urbe, cum clauditur tandem ſanctiſſimum ſub cuſtodia, Senatore, conſeruatoribus ac Priore cum luminibus humiliter adſtantibus. Nonnulli enim S. R. E. Cardinales in ſuperiori templi loculo abditi, ſed non omnino ignoti, quod ibidem non ſemel uidimus, poſt Martis ueſperas, cum aulicis quam plurimis, Praelatis ac populo innumero, Bacchanalibus exemplariter ualedicunt. De patribus Soc. Ieſu, quod precationes quadraginta horarum eo tempore introduxerint, etiam teſtatur SPEIDEL. in *Spec. uoc. Faſtnacht. p. m. 323.* Etſi autem quod de expoſitione uenerabilis ex principiis ſuae religionis iuſſit DN. BORROMAEVS aliique Itali, noſtratibus haud probabitur: Saniores tamen ſunt NEVIZANO, qui in *Sylu. nupt. lib. 4. §. Eſt nubendum n. 66. uerſ. ſed ne me increpares, etc. et pluribus ſeqq. pag. m. 313.* hanc proponit quaeſtionem: *Vtrum ſit bonum, quod Epiſcopus faciat edictum, per quod prohibeantur Clerici et laici ultra mediam noctem carnis priuii* (poſtremae ſcilicet diei, ut intelligit quaeſtionem PACICHELLIVS de *Laruis c. 6. p. 92.* et ipſe ſe explicat NEVIZANVS *cit. loc.*

n. 73.

n. 73. pag. m. 319. ubi dicit: *quadragesimam ante lucem diei cinerum nondum esse, quantum ad choreas) se laruare et chorizare, sub poena excommunicationis et unius ducati pro quolibet?* Quam quidem quaestionem negat, ualdeque delectatur *allegationibus suis, quas in facto sine praemio tamen* (nam eo non dignae forte erant) *edidit*, ut dicit, *super tali quaesito.* Scilicet ait, Episcopum non habere potestatem in laicos, nisi ubi adsit peccatum. Choreas autem et laruas, nisi mali quid accedat, peccatum non esse. Deinde non licere Episcopo, dare mandatum, quod rationi humanae repugnet, quale sit, condere legem aduersus laicos, his saltem non auditis, maxime, si quando imponatur deuotionis poena. Porro, eiusmodi ludos institui ad animi pariter, ac corporis curationem, ut efficiamur proniores ad exercitium uirtutis, tempore imminentis quadragesimae. Ita enim fecisse Seruatorem, instante eius passione, cum se recreatum iuerit in Bethaniam, secundum BONAVENTVRAM in *Meditationibus de passion. Domin.* Itaque eiusmodi mandatum, tanquam parum conueniens tempori, consuetudini et personis, dari non debere, cum in primis iam tempore, uti loquitur, immemoriali, consuetum fuerit his uoluptatibus uti: contrarium autem statuere, esse inducere nouitatem, et nimis molestum. Tandem bene scire Episcopum, quod tale mandatum non obseruetur, quo difficulter iuueniles cohibentur calores, maxime, si nobiles sint, inflati libidine mulierum, qui miscent omnia per aequum et iniquum, adeoque magis peccare, quam uiolatores mandati. Ac quae sunt alia

eiusdem farinae, quae auctor in illo libello magno conatu ac copia congessit. Acriter uero illum refutat IACOB. MENOCHIVS, teste PACICHELLIO, *cit. loc.*

§. XXV.

Affirmatur quaestio, si cum consensu magistratus ciuilis fiat.

Equidem in eo apud Augustanae Confess. addictos, licet uix apud Pontificios, facile assensum impetrabit, quod Episcoporum nimiam non probet potestatem, quam sibi sumunt in constringenda libertate Christiana, et nimiis imponendis oneribus grauandisque conscientiis. Qua de re *Confessores Protestant. August. Vindel. tit. de potest. Eccles.* Interim tamen, si Episcopis a ciuili potestate data est copia ea instituendi, quae ad bonum ordinem faciunt in ecclesia, et a peccatis homines retrahunt, illis, et multo magis ipsi ciuili potestati, uitio non est uertendum, si honestis etiam uoluptatibus limites ponant, atque, ne homines, tempore minus opportuno, illis indulgeant, uetent. Aliud sane NEVIZANVS noster ridiculis illis, immo impiis, ratiunculis non obtinebit. Interim suasor auctorque minime essem, ut eiusmodi interdictum poena deuotionis statim comitetur, quamuis non negem, dari etiam casus posse, ubi intersit, hunc disciplinae ecclesiasticae rigorem, gradibus tamen obseruatis, in usum deduci. Ceterum, quae de tempore quadragesimae diximus: cessare nimirum eo debere laruatorum gaudia; id multo magis de septimana sancta, quam uocant, uel septem diebus, Pascha praecedentibus, item sequentibus Pascha, ut et tempore quinquagesimae, praecedente sacros Pentecostes

tecoſtes dies, his etiam ipſis diebus, atque eo tempore, quo de aduentu Domini in eccleſia agitur, dicendum eſt, *can. 10. c. 33. qu. 5. l. 2. Cod. de feriis*, *Conſtitut. Saxon. ſupr. cit.* Vid. D. WILDVOGEL, *Diſſert. de Eo, quod iuſtum eſt circa Feſtum Natiu. Chriſt. cap. II. §. 9. 10. 11.* IDEM de *Feſt. Paſchat. c. 3. §. 14.* IDEM de *Eo, quod iuſtum eſt circ. Feſt. Pentecoſt. c. 4. §. 4.*

§. XXVI.

Animo tamen meo temperare non poſſum, quin et diem, quam S. Gregorio ſacram dicunt, atque oppida Saxoniae quam plurima, diuerſo licet tempore moribuſque diuerſis, celebrant, ſpeciatim hic adducam. Die enim, quam dixi, auditores frequentes ſacerdos adhortatur publice, parentes quidem, ut liberos erudiendos praeceptoribus tradant, neque diſciplinae eorum ſubtrahant; praeceptores, ut officio quiſque ſuo faciat ſatis, parentumque ſpem, quoad eius fieri poteſt, ne fruſtretur; liberos tandem, ut et ipſi parentum ac praeceptorum expectationi reſpondeant, ac pietati et diligentiae maxime ſtudeant. Inde maxima iuuentutis pars perſonata, ſub Seruatoris, Angelorum, Principum, Nobilium, Doctorum, Sacerdotum, uirtutum, artificum, ruſticorum, quin et morionum et Deorum gentium perſonis abit, et una cum praeceptoribus ſolemni pompa per urbem incedit, ſacroſque cantans hymnos a ciuibus muneribus excipitur, nonnunquam et comoedias ſiſtens publicas, tandem, gloriam Dei celebrando, gratiasque pro ſcholarum conſeruatione agendo, poſtquam

Dies S. Gregorio ſacra improbatur.

aliquot dies his gaudiis extraxit, ſolemnitatem hanc concludit. Cuius rei origo temporibus, quibus tenebris adhuc obſcurata fuit Saxonia, ſine dubio eſt adſcribenda, quippe quae hos dies GREGORIO II. Pontifici, ſacrorum in Germania inſtauratori, feſtos eſſe uoluerunt. Id ſane ritus indicant, quos dies illi optimis admixtos habent, quos nemo bonus facile probabit. Etenim de perſona Seruatoris ac Angelorum, itemque ſacris ueſtibus, quibus et hic utuntur, iam ſupra dictum: neque equidem, multa iuniorum gaudiis condonanda eſſe, inficias irem: aedes tamen ſacras morionum, ruſticorum, aliorumque perſonas, ac Deorum gentium quaſi ſimulacra, libere ingredi, ibidemque, moribus ſaepenumero ridiculis, laudes Dei uiuentis canere, laudare nequeo, quo de noui, pios ſaepe grauiter eſſe conqueſtos. Vt alia taceam, quae in plateis aedibuſque priuatis a perſonatis hiſce, quorum perſonas ferociſſimus quiſque iuuenum ſumit, perpetrantur. Quae in laudabili alias inſtituto, purgataeque religionis coetibus, abrogari decet, propterea, quod occaſionem ſuppeditant iuuenibus, uitiis moribuſque peſſimis ſub honeſto et laudis, quod opinantur, pleno titulo, adſueſcendi.

§. XXVII.

Nec regum et principum perſonae gerendae.

Relictis rebus, quae diuini iuris ſunt, ad res humani iuris deueniendum erit, atque nunc porro de illis dicendum. Vti uero cauendum eſſe, diximus, ne diuinum numen per maſcherarum uſum ludibrio habeatur: ita etiam id agendum, ut ne illi, qui maſcheris

ris utuntur, iis, qui in his terris Dii ſunt, Deique uicem gerunt, contemtionem ac contumeliam creent. Quod certe fieret, ſi quis, Imperatoris, Regum, aut Principum, ſolemni habitu indutus, per uicos et aedes curreret, atque inter uitulantes ſaltaret. Profecto Imperatores ſibi peculiare quid in ueſtitu reſeruarunt, nec, priuatos illis ueſtium generibus uti, quas ſibi uoluerunt eſſe proprias, permiſerunt. Legi hac de re poteſt *l. 4. et t. t. C. de ueſtib. holoberis et aurat. titulusque Cod. Nulli licere in frenis etc.* ubi PEREZ. itemque *t. t. C. Theodoſ. de ueſt. oloueris et aurat.* Quod ſi itaque nec alias illis ueſtibus uti licuit aliis, multo minus per iocum atque luſum id erit permiſſum. Idem de aliorum magiſtratuum peculiaribus ueſtibus, quales e. g. Senatores in curiis Galliae regni habent, dicendum eſt ob eandem pariter rationem. Quamuis enim hi magiſtratus non polleant ſumma poteſtate, ab eadem tamen conſtituti ſunt, et eius uicem gerunt. Atque adeo omnino curandum, ne, his uiolatis, ſumma poteſtas contumelia afficiatur, PACICHELL. de *Laruis c. 5. p. 73.* Apud Romanos certe toga, ſumta in feriis, in ludicris exuebatur, ut in Saturnalibus. Quorſum pertinet locus MARTIALIS, in *Epigram. lib. 2.* ad *Decianum:*

Noli ergo, ſi tibi uidetur,
Rem facere ridiculam et togam
Saltanti induere perſonae.

Et in *Cariſium*

Nil laſciuius eſt Cariſiano,
Saturnalibus ambulat togatus.

Secus tamen factum eſt, cum die ſolenni, ueris initio, Romani pompam matri Deum celebrarent. Hic enim paſſim omnibus ludendi licentia permiſſa, ſic ut perſonas induant, quas cuique libitum, nullamque non magiſtratuum quoque imaginem, prout cuiusque ſtudium, repraeſentent, ſic, ut non temere a falſis ueros dignoſcas. HERODIAN. *lib. 1. pag. m. 16.* Aliis itaque laruis utantur, quam iis, quas hactenus reiecimus. Qua in re mire uariant harum laetitiarum auctores. *Alius enim extra patriam, agens Gallum, alius Venetum, alius Bononienſem, alius Neapolitanum, alius Acerrenſem, alioſque, uulgo il Raguetto, Pantalone, Zanni, Cola, Pulcinella, quorum alter ita dictus ab erectis contra hoſtes reipublicae ualidiſſimos, in tropaeum propriis ſenatus ſymbolis, ſcil. Leonibus; poſtremus uero Pulcinella, inuentum plane ridiculum cuiuſdam I. C. ſeu terrae Geſuni ſ. urbis Acerrenſis, cauſarumque patroni taedio affecti in magna Curia Neapolitanae Vicariae, nomine, Andreae Ciuccio, qui ad uultum ex natura accommodum, uentrem ſtraminibus onuſtum aptauit, plures ad ſui imitationem excitans, ſummamque famam per uniuerſam Europam captans. Alii uero ex inſulſis ueſtium indumentis libentiſſime uiſi et auditi ſunt. Experientia uero docet, rariores et iucundiores ueſtes uiris grauiſſimis Maſcheras ſapere, e contrario ueſtes graues ac decoras magis praeter morem hilarioribus ſpiritibus Maſcheras eſſe*, PACICHELL. de *Laru. cap. 5. p. 70. 71.*

§. XXVIII.

Deſcriptiones dierum, quibus ſo-

Non poſſum, quin hic addam, quomodo ſolennes laruatorum dies nonnulli auctores deſcribere ſoleant,

leant, ubi laruas reiectas ac permiſſas ſimul uideris. *Ecce enim nonnulli habitum commutant, alii inſtar anus ueſtiuntur, alii agricolas impexos referunt, alii monſtra, neſcio, quae hominum, habitu et actionibus ad ſignificandam turpitudinem, aut ſaltem riſum mouendum compoſitis: Interdum ſic deformati, ut figurae humanae nihil retineant, cornuti, roſtrati, caudati, hirſuti, curuis unguibus monſtroſi, immo terribiles etiam oculis flammantibus, fumum et ſcintillas ex ore exhalantes, inſtar Cacodaemonum, habent,* LEONHART. HVTTER. *Meditat. I. Paſſion. pag. 6. Sic uidemus in Bacchanalibus uel ſaltantes ſatyros, uel tripudiantes Mimos, uel tumultuantes diabolos: hic hiſtrio, hic funambulus: Nec pudet omnino ſexu mentito oberrare, ſed uir femineum, femina uirilem induta habitum, incedit. Hoc tempore in publicum emittitur nequitia, ut nulla apud plures ſit innocentia,* THVMMIVS, de *Feſt. Iudaeor. et Chriſtian. p. 93. et ſeq.* Item, *haec platea milites habet, altera pharetratos; tertia Medicum, mulae cum uitro urinae capaciori inſidentem; quarta Pontificem laruatum, qui a Cardinalibus fictis pompatice deportatur; quinta uenatores cum canibus, uenabulis, retibus, cornu, frondibus; ſexta Metallarios et Lapicidas, miris et inauditis concentibus plebeculam afficientes; ſeptima Iacobaeos errones cum conchis, imagunculis, ſphaerulis; octaua nautas, piſcatores, coquos, et ſic porro.* Ita deſcribit Mummenorum claſſes IAC. HERRENSCHMID. de *Bachanal. p. 27. et 28.* allegatis ad hoc uerſibus ex TAVBMANNO in *Melodaeſia p. 549.* THOMA NEOGEORG. *lib. 4. Regni Pap. p. 138.* OVIDIO in *Metamorph.* Comes TESORO, quem allegat MENESTRERIVS in *Tr.* de *Torneam. p. 307.* de maſcheris ita ſcribit: *Maſcherate*

lent laruati homines incedere.

rate ſon Metafore rappreſentanti un Concetto permiſto d' Habiti, e ſembianti diuerſi. Ed ancora di queſte altre ſon grauie piane, come il rappreſentar un Heroe, un Nume con-ſembianze decenti, altre capricciose e ridicole, che contra-fanno ſtranamente; ſembianti, o rappreſentano coſe ſpro-portionate, o imaginarie.

§. XXIX.

Ceterum perſonae nihil inhoneſti, obſcoeni et iniurioſi in alios ſerant.

Quaecunque autem alioquin, exhilarationis cauſſa, excogitentur maſcherae, tales eſſe debent omnes, quae nihil inhoneſti uel obſcoeni, uel iniurioſi, in alios ſecum ferant, quod et recta ratio, et omnia diuina humanaque iura ſatis docent. Elegans eſt uox Papiniani in *l. 15. π. de condit. inſtit. Quae facta laedunt pietatem, exiſtimationem, uerecundiam noſtram, et, (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt.* Abſint itaque maſcherae, quae uultum tegant, partes autem corporis quaſdam nudas relinquant, uel ita tegant corpus, ut partes, quas abſcondi decet, ſub ueſtibus diſtincte cognoſci poſſint: exulent, quae obſcoenis figuris, ſculptis, aut pictis, aut alio modo factis, exornatae, Navarr. in *Manual. c. 14.* Eiiciantur etiam, quae in aliorum contumeliam ſunt compoſitae, quibus alius; uel hiſtoria quaedam de alio in eius iniuriam ſiſtuntur. Petrvs Gregor. Tholosan. *Syntagm. Iur. Vniuerſ. lib. 39. cap. 11. n. 12. in f.* Id quod *Conſtitutio Romana* §. 4. habet, ubi prohibet, ne quis ueſtimentis indecentibus offenſioniſque plenis utatur. Propterea uero, quod ſaepe numero dubium eſt, quaenam ueſtimenta pro talibus habenda, id

id ad arbitrium iudicis pertinebit, ut reiicienda uetet, honesta permittat, quod arbitrium Illustriss. Gubernator urbis Romae ibidem sibi reseruat.

§. XXX.

Etsi autem in *§. 7. d. Constit.* uetitum quoque est, offendere Iudaeos uerbis uel factis, clam uel palam; non tamen crediderim, eo ipso prohibitum esse, Iudaei personam in his gaudiis induere ac sistere. Quod licere ex VALENTIA, *Disp. 1. qu. 3. dub. 4.* et AZOR. *Instit. lib. 8. cap. 27. qu. 6.* docet PACICHELLIVS de *Laru. cap. 7. pag. 98.* Omnium autem illae maxime probandae, quae ingenii quid prae se ferunt, et sub formis hieroglyphicis uel metaphoricis seria et moralia animis ingerunt, atque sic dulcibus utilia praecepta miscent. *Iudaei personam sumere licet.*

§. XXXI.

Vtrum quadam bestiarum forma maschera indui possit, etiam quaeri solet? Improbant has mascheras fere omnes, ideo, quod indignum, et in Conditorem iniuriosum, humanam faciem, ad imaginem Dei conditam, in belluinam transformari, BALDVIN. de *Casib. Consc. Lib. 4. cap. 1. cas. 2.* PACICHELL. de *Laru. c. 7. p. 102.* Quorsum etiam referunt *Canon. 1. Concilii Altissiodorensis: Non licet Kalend. Ianuar. uecolo aut ceruolo facere, uel strenas diabolicas obseruare, sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut et reliquis diebus.* Vbi perdifficile est, quid prohibeatur illis uerbis: *uecolo aut ceruolo facere.* Non male autem existimat TELLEZ in *Not. ad capitul. 12. X. de uit. et honest. cler.* in eo ca- *Nec animantium brutorum formis utendum.*

 none

none inter alios uanos ritus, et foedas superstitiones usitatas in die Calend. Ianuarii, etiam laruarum usum, sumpta *forma pecudis* improbari. Nam, cum homines Calendis Ianuariis, ferarum et pecudum assumtis formis, huc et illuc petulantius discursitantes, Ethnicorum ritus conseruassent, ut penitus tolleretur haec superstitiosa consuetudo, Patres prohibuerunt, ne liceat Calend. Ianuarii uecolo aut ceruolo facere; hoc est sub forma uitulae aut ceruuli per plateas discurrere, ut apud nos in festis Bacchanalibus, uulgo dicitur, *correr la tora.* Ex quo canone desumtum est monitorium *Poenitentialis Romani*, apud HETLIGARIVM, *Lib. 6. cap. 6.* ubi haec sunt uerba: *Si quis in Calendas Ianuarias, quod multi faciunt, et in ceruolo ducit, aut in uitula uadit, tres annos poeniteat*, TELLEZ. *d. l.*

§. XXXII.

Arma portare, laruatis interdicendum.

Armatam mascheram uirorum et mulierum laruis se iungere posse, inter generatim prohibita minime comprehendi, nec usquam de interdicto constare, contendit PACICHELL. de *Laru. c. 8. p. 121.* Ideoque tum nullam infligendam poenam, arg. *l. Gracchus 4. C. ad L. Iul. de Adult.* id quod scite et prudenter consuluit ROLAND. CAVAGNOL. *Decis. Consult. 100. lib. 2. n. 8. in narrat. fact. uerbo: Testium et uers. Tertium similiter.* In quo ipsis facile assentior, sed tamen sententia sic temperata, nisi obstet aliud interdictum, quod arma gestare, huic uel isti personae, in hoc uel isto loco, hoc alioque tempore, prohibeat. Propterea tamen, quod maxime opus est, id curari,

ut

ut omnia tranquille fiant, caedeſque et uulnera euitentur, quae facile in hac turba contingere poſſunt, rectiſſime uſus armorum maſcheratis interdicitur. Tale quid fit in *Conſtitutione Romana*, in cuius §. 5. non obſtante qualicunque licentia, facultate, priuilegio, omnibus perſonatis uetitum eſt, portare arma, uel aliis geſtanda dare, cuius tandem cunque ſint generis, tum quibus hoſtem uulneramus, tum quibus nos aduerſus eum defendimus, lapides, inſtrumenta blumbo grauia (*piombaruòle* uocantur) uel alias res aptas ad laedendum (quae omnia et alias armorum nomine ueniunt, *l. 3. §. 2. π. de ui et ui arm. l. 11. §. 1. π. ad L. Iul. de ui publ.*) quocunque etiam modo illud fiat, ſiue habeantur in rhedis, uehiculis, carpentis, pilentis, etc. ſiue alio modo. Qualem utiliſſimam ſanctionem in aula Magni Ducis Hetruriae extare, PACICHELL. *d. l.* notat. *p. 122.* Vid. IDEM *c. 6. p. 88.* Hac mente mandatum eſt nuper in harum laetitiarum ſolemnibus, ut nullus perſonatorum conetur, aut conceſſum ſibi eſſe exiſtimet, uel clanculo, uel publice, ullum quoddam armorum genus, ſiue gladios, ſiue baculos, ſiue alias tales res, quibus damnum inferri poſſit, gerere, uel talia in ſe inueniri. *Dreſdae d. 5. Febr. An. 1723.*

§. XXXIII.

Ceterum geſtus quoque laruatorum intempeſtiuos, obſcoenos atque in contumeliam alterius uergentes, proſcribendos eſſe, nemo dubitat, quando omnes actiones, quae contra bonos mores ſunt, pro reprobis habendae, atque poena coercendae ſeuera, *Geſtus laruatorum ſint honeſti.*

PACICHELL. de *Laru. c. 7. p. 102.* Facit huc *Constitutio Romana*, dum iubet §. *10.* ut nemo erga alios, cuiuscunque sit conditionis, si maxime meretrix publica sit, actionibus et gestibus utatur indecentibus uel inhonestis, qui iniuriam, contemtionem uel infamiam illis inferre possunt, erga quos fiunt. Pariter nefas illa habet, repraesentari facta uel actiones lasciuas, uel inhonestas, quocunque modo id fiat, siue gestibus, siue signis, siue gesticulatione manuum, seu portatione rerum et instrumentorum aptorum ad significandas ac obumbrandas res obscoenas, indecentes uel inhonestas. Quemadmodum etiam omnia uerba iniuriosa ac inhonesta §. *9.* seuere prohibentur. Immo et insulsos ouorum et aquarum deiectus ex fenestris uetat §. *15.* quale quid etiam Neapoli prohibitum esse, docet PACICHELL. *d. l. c. 8. p. 120.*

§. XXXIV.

Locum personae non habent in porticibus publicis, et ubi Imperatorum imagines consecrantur.

De loco mascherarum iam uidendum. Vbi quidem in mentem uenit *l. 12. Cod. Theodos. de Scenicis.* qua uetuit THEODOSIVS, ne in porticibus publicis, uel in ciuitatum locis, in quibus imperatoriae imagines solent consecrari, pantomimorum uel histrionum imagines reponantur. Ex quo colligimus, non licere in Palatiis Principum, quibus ueneratio debetur, personatum incedere et laruatum, habituque mimi. Quod et eo minus concedendum, quoniam hac ex re Principi familiaeque eius mala non pauca expectanda sunt. Huc quoque spectat *l. un. C. Iustin. de Palat.* quae aedes, Principi consecratas ab omni priuatorum usu eximit.

Quor-

Quorſum etiam faciunt *l. 17. C. de oper. publ.* et *l. ult. C. de off. Rect. Prou.*

§. XXXV.

Item in palatiis Principum et urbium curiis.

Quod ſi tamen Princeps in Palatio locum his uoluptatibus aſſignet, quem *Redoutam* dicunt, utique illud ingredi licebit, ſed caueat apprime maſchera, ne immodeſti quid faciat et turbulenti. Nam temeritatis iſtius praeſentiſſima poena expectanda erit. Idem ſentio de praetoriis et curiis urbium uel aliis locis, ubi ius et iuſtitia adminiſtratur, arg. *l. f. C. de offic. Rect. Prou.* Ceterum in theatris, ſtadiis, circis, uiis publicis et ſimilibus, ac iis maxime locis, qui hunc in uſum deſtinati ſunt, maſcheras et perſonas ambulare, et in iis genio indulgere poſſe, nemini dubium eſt, niſi fortaſſe ſingulare quoddam interdictum extet, quale eſt ratione circi in *§. 19. et 20. Conſtitut. Rom.* ſaepe commemoratae. Neque alio ſpectat intentio Regis Potentiſſimi, ubi nuper promulgandum curauit, fore, ut, et omnibus perſonatis ſecuritas ubique locorum praeſtetur, nec, ſi quis perſonis ad res offendiculo plenas abutatur, impune id fiat, quare cauendum eſſe his hominibus, ne uias publicas, fora, aedes, tabernas mercatorias et alia loca turbent, uel homines impediant, quo minus res ſuas peragere queant.

§. XXXVI.

Non indulgendum eſt perſonis, ut

Sumunt uero id ſibi paſſim maſcherae, ut in aedes priuatas currant, atque conclauia quoque penetrent.

in aedes priuatas currant.

trent. Quod quidem tempore Bacchanaliorum, siue eiusmodi solemnium dierum, ex Principum indulgentia permitti solet, rectius tamen procul dubio prohiberetur, quandoquidem ex hac libertate uaria mala possunt nasci, furta nimirum, adulteria, stupra quoque uiolenta, ac feminae praesertim ac puellae, maxime grauidae et aegroti, in terrorem coniici insignem. Ceterum extra talem permissionem, inuito domino, aedes eius ingredi, cum nemini liceat, et, si id fiat, pro iniuria habeatur, *l. 13. π. §. ult. de iniur.* multo minus id licebit personato ac ignoto homini, a quo malum metuere possum, PACICHELL. de *Laru. c. 5. p. 63. seq.* Hinc cuilibet concessa potestas est in nupero mandato, ut minus cognitos personatos, qui nec personam ante deponant nec sui notitiam faciant, sed, inuitis dominis, in aedes et alia loca irrumpere cupiant, excubiarum subsidio, arceant, ac ipsos personatos tales tantisper custodiae mandandos curent, dum res accuratius exploretur.

§. XXXVII.

Licet laruis uti, quandocunque non prohibitum.

De tempore mascherarum, quod res iuris diuini attinet, supra dictum. Iam paucis etiam de tempore dicendum est, quod ad res humani iuris referendum. Equidem nullam legem, quae generatim certum aliquod tempus personarum usui statuat, extare scio, licet certis temporibus illorum usus prohibitus legatur. Poterit ergo haec regula statui, quod, quocunque tempore mascherae non prohibitae reperiantur, censeantur permissae, arg. *l. 12. π. pr. de Iudic.* Dari solemnes dies, quos ob singularem laetitiam, memo-

memoriamque rei geſtae, natiuitatem Principis, nuptias, aduentum, alia, indicatos ſcimus, quibus publice laetari omnibus licet. In hiſce feſtis maſcheris uti indulgeri ſolet, etiam ibi, ubi id alias non licet, atque adeo id pendet ex Principis uoluntate. Sic refert MENESTRERIVS, diebus circumciſionis Principum, Turcas maſcheris uti, quod ex NICEPH. GREGORAE *L. VIII. Hiſt. Biz.* LAONICVS CHALCOCONDYLAS, *Lib. VIII. de Orig. ac reb. geſt. Turc.* hauſit. Reliquo tempore omni generatim quidem perſonatum incedere prohibitum non eſt, nec per ſe illicitum, ut ſupra oſtenſum: uix tamen ullus in toto mundo dabitur locus, ubi liceat perpetuo hac libertate uti. Vid. PACICHELL. de *Laru. c. 6. p. 82.* Nam cum non expediat, iocari ſemper et deliciis indulgere, utique refrenanda eſt libertas, illaque parce utendum.

§. XXXVIII.

Non facile nocte indulgendum.

Quod ſi uero tempus aliquod his gaudiis deſtinatum, circumſcribendum etiam eſt, ne omnes diei et noctis partes his rebus conſumantur. Nox ſane uitiis amica atque ſuſpecta eſt, ita, ut illi, qui noctu, et perſonati quidem, obambulant, in ſuſpicionem delicti facile ſoleant incidere, RIPA de *Nocturn. tempor. c. 164. n. 8.* arg. *l. 1. §. Si mulier 10. π. de inſpiç. uentre.* Namque

Nox, et amor uinumque nihil moderabile ſuadent.

atque, qui male agit, odit lucem, *Ioh. III. u. 20. c. 21. cauſſ. 18. qu. 2.* Expedit ergo, ſeuere cohiberi nocturnum

num istum mascherarum usum, qui tamen tantum non semper in deliciis haberi solet. *Romana Constitutio* ad hanc quoque rem se extendit et prohibet, ut nemo personas induat, ante meridiem et post unam noctis horam. Ordinationem uero uel statutum, ne mascherae procederent noctis tempore, mali exempli uitandi caussa, aut rixae arcendae, factum esse explicat MATTHIAS LAGVNEZ de *Fructib. p. 1. cap. 28. n. 233.* Vid. BOBADILL. in *Polit. lib. 2. c. 13. a. n. 49. usq. 64.* Atque Ferrariae et Mantuae Duces, furcarum poenam, noctis tempore ferenti barbam subdititiam, imminere uoluisse, testatur PACICHELL. de *Laru. c. 6. p. 79.* Immo in aula M. Ducis Hetruriae, post pulsum occasus solis, mascheram ad faciem aptari non licere, PACICHELL. notat de *Laru. cap. 8. p. 123.* Id uero maxime miror, ita quosdam ineptiuisse, ut dubitarent, an ualeat mandatum Principis, quo prohibentur nocturnae choreae. Conf. NEVIZAN. in *Sylu. nupt. lib. 4. n. 73. in pr. pag. m. 315.* PACICHELL. de *Laru. c. 6.*

§. XXXIX.

Nulla lex excludit personas a commercio.

Satis actum de diuisione rerum in diuinas et humanas. Alia est, quae hic non omittenda, qua res diuiduntur in eas, quae in commercio sunt, et quae extra commercium. Priores sunt, *quae emendi uendendique ius explicant*, ita VLPIANO in *Fragm. Tit. 19. §. 4.* uel, prout PETRVS GREGORIVS THOLOSANVS loquitur in *Synt. iur. uniuers. lib. 25. cap. 2. n. 5. liberam communicandi, contrahendi, et commercandi facultatem recipiunt.* Atque tales sunt res omnes, nisi uel ob sui naturam et natu-

naturali quadam ratione, uel per mores gentium, aut leges ciuitatum, commercio hominum ſint exemtae. At enim hae extra commercium eſſe dicuntur, dum nempe non recipiunt emendi uendendique ius, uel liberam communicandi, contrahendi, commercandique facultatem, *l. 34. §. 1. π. de contr. emt.* Quod ad maſcheras noſtras attinet, has nec ſui natura, nec naturalis quaedam conditio, nec omnium gentium inſtituta, nec etiam ius Romanum, aliaque, quibus in Romano-Germanico Imperio utimur, a commercio penitus excludunt, licet quarundam uſus, et quibuſdam hominibus, illarum geſtatio ſit interdicta. Vbi ſi tamen lex extaret in ciuitate, quae plane omnium uſum prohiberet maſcherarum, illaſque uendi et emi; utique tunc rebus extra commercium poſitis annumerandae uenirent. Tale quid factum eſt aliquando in Gallia, ubi *Arreſto*, quod uocant, *Pariſienſi 25. April. ann. 1514.* omnibus mercatoribus Pariſiis in Palatio interdictum fuit, ne uenales laruas haberent, uel exponerent. Curia quippe tum certe animaduerterat, has merces non modo nihil prodeſſe, uerum etiam obeſſe quam maxime, immo mille malorum cauſſam eſſe, et hiſce nulla non ſtupra, nulla non adulteria, nulla non latrocinia, nullas non caedes, nulla non alia facinora perpetrata fuiſſe, LVCIVS *Lib. 6. tit. 17. Arreſt. 13.* IO. PAPON. *Lib. 23. tit. 7. arreſt. 1.* PACICHELL. de *Laru. c. 6. p. 84.* Sed, Galliam iamdudum ab hiſce moribus receſſiſſe, norunt omnes, qui Galliam adierunt.

§. XL.

Vtrum in personis ususfructus uerus, an quasi ususfructus institui possit? affirmatur prius.

Est uero Dupondiis quoque notius, res diuidi in corporales et incorporales, quarum utrarumque naturam explicant *Dd.* Ad res incorporales seruitutes pertinent, tum reales, tum personales, atque inter illas ususfructus, qui in uerum, et quasi usumfructum discescitur. Circa quem quaestio institui potest: Vtrum in mascheris ususfructus uerus, an quasi ususfructus constitui possit? Decisio huius quaestionis ab illa pendet: Vtrum uestimentorum ususfructus uerus sit, an quasi ususfructus? Nota est controuersia, quae inter iuris textus hac parte intercedit, dum nempe IVSTINIANVS, uel TRIBONIANVS potius, §. *2. l. de Vsufruct.* ultimum affirmat, prius uero ueteres censuerunt, in *l. 15. §. 4. π. de usufruct. et quemadmod. quis utat. fru. et l. 9. §. 3. π. usufr. quemadm. cau.* Quam pugnam ut mitigarent *Dd.* uaria excogitarunt, quae fortasse nec ueteribus, nec TRIBONIANO, in mentem uenerunt. Plerisque placuit, quod ACCVRSIVS commentus est, Digestorum textus intelligendos esse de perpetuis uestibus, quibus rarior est usus, lugubribus et scenicis, ad quas mascherae nostrae quoque referendae sunt; TRIBONIANVM autem de temporalibus siue quotidianis loqui, quae facile consumuntur, adeoque harum esse quasi usumfructum, illarum uerum. At a CVIACIO, BACHOVIO et VINNIO erudite ostensum, omnia illa commenta nihil ad rem facere, sed agnoscendum, hic esse lapsum TRIBONIANVM, et quotidianarum uestium nullum alium, quam uerum, esse usumfructum, cum

uestes

uestes hac usu quotidiano non consumantur, sed tantum deterantur. Quem lapsum admittere, uti nullum piaculum esse, censeo: ita puto, hac in pugna ueterum omnino sententiam, quippe quae iuris sententiis magis conuenit, esse retinendam. Minus ergo dubii erit, in nostris mascheris uerum usumfructum esse, atque eum constitui, uel reseruari posse, tum uoluntate partium, tum lege. Quale quid fit, liberi, in potestate constituti, eiusmodi si uestimenta habeant, uel in Saxonia uxor, ubi tum patri, tum marito, hisce in rebus usussfructus legalis utique competit. Quo quidem casu, si mascherae, durante hoc iure, fuerint attritae per usum, nihil praestatur ab usufructuario eo nomine, nisi aestimato accepit, et, restiturum se, cauit. Conf. Dn. Parens in *Resolut. Lauterbach. ad tit. de Vsufruct. ear. rer. lib. 7. tit. 5. p. 138. seq.* et *Oeconom. Iur. lib. 2. tit. 3. §. 19. not. 1. pag. 317.*

§. XLI.

Vsussfructus mascherarum, in alium usum, quam cui destinatus est, uendi, locari et gratis concedi alii nequit.

Quemadmodum uero, qui usumfructum mascherarum habet, alii locare illum, uendere, aut gratis concedere, potest, arg. *§. 1. I. de usu et habit. l. 15. §. 4. 5. π. de usufruct. et quemad.* licet testator illas locare non fuerit solitus, atque alias uestimenta quotidiana ab usufructuario locari nequeant. Ita illis, qui tantum usum habent, haec omnia non licebunt, *d. §. 1. I. et l. 8. pr. l. 12. §. 4. π. de usu et habit.* Nisi fortasse ex coniecturis colligi queat, aliud uoluisse concedentem, *d. l. 12. §. 4.* Vinn. ad *§. 1. I. d. l.* Quorum omnium ratio satis nota est, adeo, ut non opus sit prolixa ex-

poſitione. Obſeruandum tamen eſt, uſumfructum illum maſcherarum in alium uſum, quam cui deſtinatus eſt, uendi, locari, uel gratis concedi alii, non poſſe, *d. l. 15. §. 5. π. de uſufr. et quemad.* Proximum his eſt, eum, qui habet uſum aedium, non poſſe aedes locare ad uſum maſcherarum, ut ibidem nempe conueniant et luſus exerceant, *§. 2. I. de uſ. et habit.* poſſe tamen et hoſpites laruatos unum, uel plures, fortaſſe recipere, quod quidem ob dubitationes ueterum uix receptum, ſed admiſſum tamen fuit, *l. 2. §. 1. π. Eod.* cum contra ea, qui uſumfructum aedium habeat, illas maſcheratis locare queat. Qui habitationem habet, poteſt illam locare alii ad uſum habitandi, *§. 5. I. de uſ. et hab.* At, an ad uſum maſcherarum? ſubſiſto. Namque hac locatione habitationis finis excederetur. De cetero ſeruorum operas ad uſum maſcherarum concedi poſſe, nemo dubitabit.

§. XLII.

Seruitutes, laruarum ratione habita, explicantur.

Ex argumento ſeruitutum realium non adeo multum huc transferri poteſt, niſi forte illud, quod et ſeruitus conſtitui poteſt inter duas aedes, uel fundos uicinos, qua praedio dominanti ius conceditur, ut in ſeruiente maſcheratorum coetum cogere poſſit, uel per alterius praedium, uel ſolus, uel cum aliis pedes irê, uel equo, aut ſella, aut lectica perſonatus uehi poſſit. Quae ſeruitus procul dubio urbana dicenda, ideo, quod praedium, cui debetur, urbanum ſit. Nam in ruſticis eiuſmodi deliciae non facile ſolent inſtitui. Quod ſi tamen ruſtico praedio eſſet

esset constituta, propterea, quod et in uillis iocari interdum placet, rustica est dicenda, quum a praedio dominante denominatio hac parte fieri soleat, *l. 2. π. de seruit. praed. rust.* Si uero talis seruitus, personae, non rei caussa, constituta, non realis, sed personalis est, atque adeo cum persona extinguitur, *l. 4. l. 37. π. Eod.* HAHN. ad WESENBEC. *h. t. n. 4.* DN. PARENS, *Oeconom. Iur. l. 2. tit. 3. §. 2. pag. 299. seq.* Ceterum in constitutione eiusmodi seruitutum id obseruandum erit, quod et in aliis. Id quod monere, superuacaneum est, quemadmodum et istud, omnia, quae hactenus dicta sunt, postulare, nullum esse in ciuitate mascherarum interdictum.

§. XLIII.

Ad res, quae corpore carent, non immerito referri possunt et debent libertates et priuilegia, quae personatis indulgeri solent. Qualia sunt, ut a nemine debeant laedi: ut facultatem habeant ingrediendi loca, huic rei destinata, immo interdum et aedes priuatas: ut nemo cogatur laruam deponere, et uultum aperire, uel loqui: ut non possit in iudicium uocari, uel in carcerem rapi ob aes alienum, uel ob delictum, nisi fortasse in larua delinquat. *Refert enim*, ut ait PACICHELLIVS, de *Laru. c. 8. p. 121. huiusmodi larua in festis, per magistratum supremum imperatis, Achillis arma, ac Bellonae propugnaculum, iuxta locorum tamen consuetudinem, et municipalia iura. Fauet, inquam, uniuersim, pro delictis quoque saluus conductus, ad instar feriarum nundinalium.* Eiusmodi priuilegia *Priuilegia laruatorum.*

 uero

uero ex Principum uoluntate pendent, uel etiam illius, cui poteſtas haec eſt conceſſa.

§. XLIV.

Praeſcriptioni locus in laruis.

Cum ſic methodo Iuſtinianea ducimur, ad uſucapionem et longi temporis praeſcriptionem deuoluimur, ubi quidem illa ſe quaeſtio ſiſtit: Vtrum, ſi per legem uel ſtatutum maſcherarum uſus prohibitus ſit, ſub titulo praeſcriptionis admitti poſſit. Sane aduerſus legem prohibentem, niſi longiſſimum temporis ſpatium, nihil proficit, COVARRVV. *Tom. 2. Var. Reſolut. Lib. 1. cap. 17. n. 7. Dd.* ad *Capit. 1. de praeſcript. in 6to.* Quod, ſi adeſt, uim priuilegii habet, et conceſſionem Principis ſecum fert. *Capit. ſuper quibuſdam. uerb. praeterea X. de V. S. l. 3. §. 4. π. de aqua quot.* BRVNNEMANNVS, ad *l. 4. C. de aquaeduct.* Atque exinde colligo, poſſe, ſi conſuetudo temporis, cuius non extat memoria, uſum maſcherarum probauerit, licitum dici, non obſtante iſta antiqua lege, quam ſumma poteſtas, dum per tantum temporis ſpatium, conniuendo, iſtum non impediuit, probaſſe tandem, et priorem legem abrogaſſe, uidetur. Niſi fortaſſe talis conſuetudo tam fortiter improbata fuerit, ut diſerte legi adiectum, aduerſus illam nullam eſſe conſuetudinem admittendam, uel in poſterum allegandam. Hoc caſu non temere exiſtimarim, dum illum, qui τὸ κύριον habet, ſuſtuliſſe legem plane, licet per corruptelam hominum et ſeculi, eiuſmodi uſum hactenus tolerarit, arg. *Authenticae Nauigia C. de furt. Authent. Caſſa C. de SS. Eccleſ.* Interim tamen ſi contra talem legem,

quae

quae diu neglecta eſt, quis peccet, ab illo poena non adeo rigide exigi poteſt, cum faciat, quod omnes faciunt, atque adeo extra dolum eſſe uideatur, ſaltem excuſari mereatur, arg. *l. 13. §. 1. in f. π. de Pollicit.*

§. XLV.

Expedit ergo, a magiſtratu commonefieri ſubditos legis eiuſmodi obliteratae et obliuioni traditae, ut obſeruare eam diſcant, ſi quidem poenas uelint euitare. Quin etiam, ſi uel maxime nulla unquam lex extiterit hac de re, uel, ſi extiterit, contraria conſuetudine antiquata fuerit, nihil tamen prohibet, quo minus Princeps, ſi uideat, publicae rei hancce libertatem non prodeſſe, ſed illi potius aduerſari, uel cum tantis coniunctam eſſe abuſibus, ut euitari non poſſint, Vid. GESNER. in *Orat. de perſon. ſiue laru. heduat. diurn. nocturnaque diuag. inuerecund. loc. amplex. ſalt. aleaque bacchant.* et quae ex illo repetit DVNTE, *Caſ. Conſc. cap. 10. ſect. 2. quaeſt. 51.* penitus illam tollere queat. Publica enim ſalus ſuprema lex eſt, et nulla tanta uis conſuetudinis eſſe poteſt, quae uincat rationes, aut legem talem nouam prohibentem, *l. 2. C. quae ſit long. conſuet.* ubi BRVNNEM. Talem legem interdicentem in Germania condidit piiſſimus Princeps, ERNESTVS, SAXO-GOTHANVS, *Part. 2. Ord. Prou. c. 4. tit. 16. Wir wollen auch in unſerm Fürſtenthum und Landen durchaus alle Mummerey, und alles Umlauffen in Faſtnachts-Kleidern, als ein Heydniſches, und Chriſten übel anſtändiges Weſen, darbey viel Sünden begangen werden, gäntzlich verboten haben, und ſollen die Ubertretter dieſes Ver-*

Praeſcriptio lege magiſtratus tolli poteſt.

Verbots von denen Gerichts Dienern unfehlbar angenommen, und zur Hafft gebracht, auch folgends von denen Obrigkeiten und Gerichts Herren ernstlich gestraffet werden. Similes leges supra adduximus. Illa uero potestas superioribus magistratibus utique competit, si maxime concederemus inferioribus, et, ut uult NOVARIVS de *Grauam. Vasall. T. I. Grau. 309.* Baronibus regni Neapolitani ob perpetuum illarum usum, mascheras prohibere non licere. Quod ipsum tamen etiam, inter sibi subditos, illis datum esse, haud inidoneis argumentis facile probari potest. De cetero, si de usucapione mascherae uel loci, ubi personati conueniunt, quaestio sit, omnia illa applicanda erunt, quae alias ratione aliarum rerum usurpantur.

§. XLVI.

De donatione patris et mariti, qua filio et uxori laruas donat.

Ex argumento donationum huc referendum, quod iure Communi pater filiofamilias, in potestate sua constituto, mascheras donare non possit, *l. 11. et 17. C. de donat.* quod tamen iure Saxonico aliter se habebit, quo rerum mobilium donatio, a patre facta, ualet, CARPZ. *P. 2. C. 12. D. 22.* Vide tamen *Decis. Elector. 23.* ubi de donatione filiifam. in patrem. Confer. DN. PARENS, *Oeconom. Iur. lib. 2. tit. 2. §. 28. pag. 276.* Pariter donatio mascherarum inter maritum et uxorem non aliter ualebit, quam alias eiusmodi donatio, qua de re *tit. π. et C. ibidemque DD. de donat. inter uir. et ux.* plena manu agunt. Praecipue autem huc pertinebit casus *l. 5. §. 16. l. 25. π. de donat. inter uir. et ux.* Namque, cum mascherae saepenumero tales sint, quae

post

post usum nulli hominum utilitati sint, atque adeo coniux, cui donatae, inde non locupletior fiat, nemo dubitabit, eiusmodi donationes ualidas esse. At aliud dicendum est de illis, quae ex panno pretioso factae, auro et gemmis exornatae, adeoque post usum illum iocosum locupletiorem faciunt donatarium, quippe quae donatio inter coniuges nullius erit uigoris. Quin et in dubio non praesumendum est, pretiosas tales et scenicas uestes maritum donasse uxori, sed credibile, dedisse tantummodo animo commodandi, arg. *l. 5. §. 10. π. Commodat.* THOLOSAN. *lib. 9. Syntagm. Iur. uniuers. c. 25. n. 19.* DN. WERNHER. *Diss. Qua error. for. circa bon. utensil. uxori a marit. tradit. emend. §. 3.* quae decisio utilis tunc esse potest, si per mortem mariti donatio confirmata dicatur, B. DN. STRYK de *Iur. uest. cap. 4. et 5. n. 37. seq.* Immo, si inter alias personas donatio eiusmodi fiat, et 500. solidos excedat, omnia ista iura, quae de insinuatione talis donationis extant, hic applicanda ueniunt. DN. PARENS, *cit. loc. pag. 275. seq.*

§. XLVII.

Ceteri, pro se quisque, res suas alienare potest.

Quicunque uero alias res suas alienare, uel aliquid, uel per se, uel per alios, acquirere possunt, qua de re *Tituli Institut. quib. al. lic. uel non lic. et per quas person. cuiq. acquir.* illis etiam haec facultas erit concessa, nisi fortasse exceptio quaedam doceri possit.

§. XLVIII.

Vtrum personatus ultimam possit uolunta-

Progredimur ad ultimas uoluntates, quibus cum testamenta, per quae heredem siue successorem omnium bonorum declaramus, tum alias dispositiones, codi-

tem declarare? Neg. codicillos, fideicommiſſa, legata, donationes etiam mortis cauſſa, comprehendimus. Circa quae omnia illud diſquirendum erit: Vtrum perſonatus quis ultimam poſſit uoluntatem declarare? Quod omnino et prorſus eſt negandum. Quoniam enim his in rebus magna opus eſt cura, ne fraus irrepat, atque ſic apprime neceſſarium eſt, ut certi ſimus de teſtatoris perſona: hoc autem fieri non poteſt, niſi apertus ſit uultus, et a teſtibus, uel illis, qui recipiunt teſtamentum, uideatur teſtator et cognoſcatur: conſequens eſt, teſtamentum tale plane eſſe nullum. Vid. *l. 9. et 12. C. de Teſtam.* ubi *Dd.* Quodſi tamen uultus ſaltem larua careat, atque extra iudicium teſtamentum tale fiat, non puto, ex eo ſolo uitiari teſtamentum, ſi cetera ſe recte habeant, propterea, quod ſic certi ſumus de perſona teſtatoris. Coram Principe autem, uel in loco, ubi ſenatus cogitur, uel iudicii, uel coram miſſis a iudice, comparere perſonatum, uultu etiam aperto, indecens eſſe, iam ſaepe docuimus. Itaque, ſi maxime a tali ibidem mentis teſtatio fiat, nullam tamen illam eſſe, cenſerem. Sibi uero, ſiquidem non per iocum fecit, quod a tali perſonato in dubio praeſumendum, adſcribat, quod non alio tempore ad magiſtratum uenerit ſummum uel intermedium, uel ſine perſona ediderit, uel ſaltem repetierit animi ſententiam. Omnia tandem illa hic repeti poſſunt, quae ſupra dicta ſunt *c. 4. Sect. 1. §. 15.*

§. XLIX.

Secus, ſi in his laetitiis Quod ſi tamen quis perſonatorum inter has laetitias

titias in morbum ſubito incidat periculoſum, atque de rebus ſuis diſpoſiturus, ad Principem, uel ad iudicem in habitu fictitio, qui exui ſtatim non poſſit, deferatur, ac ultimam ſuam uoluntatem declararet, in fauorem eiuſmodi uoluntatis ultimae, et morae periculum, exiſtimarim, non eſſe eandem uigore ſuo deſtituendam, arg. *l. 10. π. de inoff. teſt. l. 85. π. de Reg. Iur. l. 43. π. de relig. l. 5. §. 11. π. de operis nou. nuntiat.*

moribundus coram Principe uoluntatem declaret.

§. L.

De teſtibus teſtamenti, uel aliis uoluntatibus neceſſariis eadem fere dicenda. Propterea enim, quod, teſtes laruati ſi adſint, de eorum qualitate iudicium ferri nequit, idonei tales eſſe non poſſunt. Quod ſi tamen uultum aperiant, et ita, quinam ſint, ſatis conſtet, alienum corporis habitum teſtimonio obeſſe, non putamus. Quod ad magiſtratum attinet, cui ultima uoluntas offertur, eadem repetenda de illo ſunt, quae de aliis actionibus iudicialibus ſupra aliquoties diximus, nempe actiones eiuſmodi ſerias a magiſtratibus perſonatis ſuſcipi non poſſe. Quod ſi tamen ſubito caſus incidat, ubi morti uicinus uel adducatur ad magiſtratum, uel hic, ut ad illum ueniat, rogetur, et magiſtratus uel illi, quibus negotium hoc demandatur, perſonis induti, nec tam cito ueſtimenta mutare poſſint, propter periculum morae, atque fauorem ultimarum uoluntatum, a perſonatis, modo uultu aperto, de illorum perſona ſatis conſtet, teſtamenta et codicillos recipi poſſe, eaque ualida eſſe, arbitrarer. *Dd. Ll.*

Idem de teſtibus dicendum et magiſtratu.

§. LI.

Prohibito laruarum usu, legatum cum conditione usus laruarum non impleti, ualet.

Nunquam implendas conditiones, institutionibus adscriptas et legatis, itemque fideicommissis pro non scriptis haberi, nec uiolare ultimam uoluntatem, nec uitiare, notum est, *§. 10. I. de hered. instit. l. 6. l. 20. pr. π. de condit. instit.* ubi *Dd.* Exceptio est in filiofamilias, *l. 4. pr. π. de hered. inst. l. 15. π. de cond. inst.* Quod si, stante mascherarum interdicto, conditio adiecta: *Si mascheratus incedat hoc uel illo tempore*, uel, cessante interdicto: *si maschera obscoena utatur: si seminudus, uel nudus corpore, laruatus capite incedat*, uel: *si sub larua occidat Titium, heres esto, uel lego ei 100. etc.* detracta conditione, institutio et legatum ui sua gaudent, *l. 31. π. de Oblig. et Act.* Sin uero ita dictum: *Si heres meus personatorum coetus non frequentauerit, Titio centum dato;* nullius momenti hoc est legatum, cum absurdum sit, heredem poena coerceri, quod rem prohibitam non fecerit, *§. ult. I. de Legat.* ubi *Dd.* inprimis Hoppivs. Interim hoc poenae legatum ualebit: *Si heres meus personatus incedet, dabit 100. d. §. ult.* siue usus prohibitus sit, nec ne. Confer. Dn. Parens, in *Oeconom. Iur. lib. 2. tit. 4. §. 13. not. 6. 7. pag. 369. et §. 27. not. 12. pag. 409.*

§. LII.

Derisoriae ultimae uoluntates non ualent.

Sed finge, in testamento suo quem iussisse, ut laruatus, et forte etiam pretioso habitu in tumulum reponeretur, uel ut laruati in exequiis loculum circumcurrerent etc. Sane derisorias eiusmodi ultimas uoluntates atque stultas, et quae contra bonos mores

sunt,

ſunt, ius noſtrum improbat, atque adeo non culpat heredes et accuſat, qui uoluntatem talem non implent, quin potius laudat, ac eos, qui talia iuſſerunt, eo loco habet, ac ſi ſanae mentis non eſſent, atque adeo eiuſmodi conditiones pro non ſcriptis habet, *l. 14. et l. 27. pr. π. de condit. et demonſtr. l. 40. §. 2. π. de aur. et arg. leg. l. 14. §. 5. π. de relig. l. 113. §. 5. de legat. 1.* Riſu dignum itaque cum ſit, immo bonis moribus aduerſum, mortuum iocari uelle in exequiis uel ſepultura, et, ubi miſeria humana, et omnibus imminens mors cogitanda eſt, ridendi dare occaſionem: conſequens eſt, huius generis diſpoſitionem non ualere. Vid. Dn. Parens, *Oecon. Iur. lib. 2. tit. 1. §. 3. Not. 4. pag. 209.*

§. LIII.

Sed dari tamen etiam caſus poſſunt, ubi laruata funera fieri non indecens eſt, ſed decorum. Suggerit tales nobis caſus doctiſſimus Camerarivs in *Hor. ſubciſiu. Cent. 1. cap. 96. pag. 448.* ubi, quae ueteribus dicantur laruata funera, docte diſquirit. Scil. laruata fuiſſe funera opinatur, quando cadauera ipſa ruina aedium detrita, uel alio caſu mutila, propter deformitatem, publice oculis exponenda, efferri non potuerint, ſed eorum loco uel laruae quaedam, quae eorum faciem repraeſentabant, uel plane inuoluta et ueſtibus tecta. Quam rem duorum coniugum, in thoro coniugali prima nocte inter mutuos amplexus ruina aedium oppreſſorum, epitaphio, quod commemoretur, digniſſimo firmat. Romae adhuc conſpicitur, et his lectores ſuos moratur: *Dantur funera laruata.*

ASPICE. VIATOR
Q. SER. TVLLI
ET. DVLCICVLAE. SPON. MEAE
RANCILIAE
VIRG
SIMVL. AC. POST. INDE
QVID. FACIAT. LICENTIOSA. SORS
LEGITO
IN. IPSA. FLORIDA. AETATE
CVM. ACRIOR. VIS. AMORIS. INGRVER
MVTVO. CAPT
TAND. SOCERO. E. ET. M. SOCR. ANNVENTIBVS
SOLENNI. HYMEN. NVPT. COPVLAMVR
SED
O. FATVM. INFELIX
NOCTE. PRI. CVM. IMPORT. VOLVPTATIS
EX. LI. FAC. EXTINGVERE
ET. D. MV. VOTA. COGEREMVR. REDD
HEV
IPSO. IN. ACTV
DOM. MARITALIS. CORRVENS
AMB. IAM. EXTRE. CVM. DVLCITVDINE. LAETISS
COMPLICATOS
OPPRESSIT
FVNESTAS. SOROR
NEC. NOVI. QVID. FECISS
PVTA
NON. ERAT. IN. FATIS. TVM. NOSTRA. LONGIOR. HORA
CARI. PARENTES
LVCTV. NEC. LACRYMIS
MISERA. AC. LARVATA. NOSTRA. DEFLEATIS. FVNERA
NE. REDDATIS. INFELICIORA
AT. VOS
NOSTRIS. DIVTVRNIORES. VIVITE. ANNOS
OPTIME. LECTOR
AC. VIVE. TVOS
D. M

Confer.

Confer. et KIRCHMANN. de *Funer. Rom. lib. II. c. 9.* Si itaque eo mandatum uergat, non improbandum, ſed omnino explendum foret, immo abſque iuſſu larua cadaueri induatur. Alium caſum ſuppeditat urbs Lipſia, ubi laruati homines feretrum, quo honeſtiores efferuntur, circumeunt. Loquor uero de liripipiis, quae uocant, quibus Magiſtri induti ſunt, ſeu capuciis, quibus caput tegunt, ut facies cognoſci ne poſſit. Quodſi itaque ſub hac conditione heres ſcriberetur, mandatum omnino implendum eſt, modo talis perſona iubeat, cui hunc licet honorem exhibere.

§. LIV.

Poſt haec quaeri poſſet: Num ciuitati uel municipio aliquid legari poſſit in uſum maſcherarum? Rempublicam nec heredem inſtitui, nec praecipere poſſe, conſtare dicit PLINIVS *Lib. 5. Epiſt. 7.* R. Aut ius illud, municipale fuit, aut leges, quibus tunc utebantur Romani, poſtea ſunt mutatae. Immo mutatas eſſe ſatis patet, ſi conferamus textum ex VLPIAN. *Fragment. tit. 22. §. 4. pag. m. 121.* et PAVLI in *l. 122. π. de legat. 1.* PAVLVS ibidem dicit: *Ciuitatibus legari poteſt etiam, quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet. Ad ornatum, puta, quod ad inſtruendum forum, theatrum, ſtadium, legatum fuerit. Ad bonorem, puta, quod ad munus edendum, uenationemue, ludos ſcenicos, ludos Circenſes, relictum fuerit, aut quod ad diuiſionem ſingulorum ciuium, uel epulum, relictum fuerit.* iunct. *l. 17. §. 4. π. de condit. et demonſtr.* Ex quo conſequitur, poſſe etiam municipio ad uſum maſcherarum, uel ut in ſingulos aliquid in hunc

Ciuitati aliquid in uſum maſcherarum legari poteſt, et priuato uiro.

hunc usum diuidatur, relinqui. Praesupponendum tamen est, usum ibidem esse licitum. Vbi enim hoc non est, atque uetitum mascheris uti, uel si magistratus uetet pecuniam in talem usum erogari: iniquum esset, id, quod legatum est, lucro heredum cedere, sed in id, quod maxime necessarium municipibus uidetur, adhibitis heredibus et primoribus ciuitatis, conferri permittitur, ut memoria testatoris alio et licito modo celebretur. Qua in re si ciuitas inter se conuenire nequeat, res ad Principem eiusdemque arbitrium deferenda erit, *l. 16. π. de usu et usufruct. leg. l. 4. π. de administ. rerum ad ciuit. pertin.* ubi *Dd.* Quod si legatum sit in usum mascherarum priuato, legatum ualebit, si permissus usus est legatario: Si huic plane interdictus, uel generatim prohibitus, nil deberi puto, arg. *l. 49. §. 2. π. de leg. 2. l. 39. §. 1. π. de leg. 1.* Nam, quod de omnibus ob fauorem illorum dictum, non putem temere ad singulos trahendum esse. Manebit ergo hoc casu lucrum heredi.

§. LV.

Laruae legatae praestantur, si earum usus permissus.

Fac, mascheras ipsas seu uestimenta eiusmodi legata esse, praestari debent, si scil. mascherarum usus permissus, saltem legatario. At, si prohibitus, et omnibus mercatoribus interdictum, ne uenales laruas habeant et exponant, quale *Arrestum Parisiis d. 25. April. 1514.* prodiit, quod Io. PAPONIVS refert, *Lib. 23. tit. 7. arrest. 1.* atque ita commercio mascherae plane sint exemtae, eo casu nihil debetur, et ne aestimatio quidem, uti et tum ad nihil obligatur heres, si fortasse

locus

locus publicus huic usui destinatus legaretur, *§. 4. I. de legat. l. 39. §. ult. π. de leg. 1. l. 49. §. 2. π. de leg. 2.* ubi *Dd.* Et in hac sententia quoque est BARTOLVS, quando ad *l. quamuis 26. π. de auro et arg. leg. n. 2.* scribit, quod nunquam uestes, quae sunt prohibitae, censeantur legatae, cum nec legari possint, cui consentit CARPZ. *P. 3. C. 13. D. 24. n. 6.*

§. LVI.

Obseruandum porro est, uestis nomine etiam scenicas, tragicas et citharoedicas comprehendi, atque adeo, uestibus legatis, mascheras etiam simul deberi, arg. *l. 127. de V. S.* ubi CVIACIVS et GOEDDAEVS. licet post testamentum conditum factae, PETRVS PECK. de *Testam. coniug. lib. 5. cap. 29. n. 3.* CARPZ. *P. 3. C. 13. D. 24.* Sed fac, inter hasce mascheras quasdam esse, quibus legatario uti non licet, e. c. si feminae mascherae uirorum legatae: uel fac, legatario esse plane usum mascherarum interdictum, ut si forte clericus fuerit legatarius, an tunc quoque mascherae illae, legatario prohibitae, debeantur. Negans ex MENOCH. de *Praesumt. l. 4. praes. 161. n. 23.* et PECK. de *Testament. coniug. d. lib. 5. c. 29. n. 3. in fin* defenditur: quia primo testator praesumitur dispositionem suam conformare uoluisse dispositioni legis ac statuti. deinde quia delicti praesumtio euitanda, quae subesset, si legans has uestes, ansam daret legatario agendi contra statutum. Sed opinio haec nobis non placet, cum uestimentis legatis non teneatur legatarius praecise uti. Sane, si MENOCHII et PECKII ratiocinatio ualeret, nec Geradam, nec Heergewe-

Vestibus legatis, et mascherae debentur.

tham marito et uxori uendere liceret, cum, ut ſupra dictum, neuter ſexus alterius ueſtibus debeat uti. At enim uero nemo improbat tales contractus. Immo heredibus eripiendae forent ueſtes, ad ſexum illorum non pertinentes, quod tamen nemo affirmare audebit. Plane aliter res ſe habet, ſi maſcherarum uſus totus ſit prohibitus, et uetitum quoque eſt, eiuſmodi ueſtes poſſidere. Conf. DN. STRYK. de *Iur. ueſtiar. cap. 5. n. 12. ſeqq.* Tunc enim corrumpendae ſunt, ſed ita tamen, ut materia, ſi cui uſui eſſe poſſit, relinquatur legatario, cui corpus illud fuit relictum.

§. LVII.

Sub alimentis laruae non comprehenduntur.

Denique, ueſtibus uirilibus legatis, maſcherae uiriles; muliebribus, muliebres legatae cenſentur. Si uero talis adſit, qua et femina et mas uti poteſt, uoluntatis quaeſtio eſt, quae ex coniecturis decidenda, *l. 23. l. 33. π. de auro et argent. legat.* ubi *Dd.* Alimentis legatis, omnia debentur, quae ad uitae humanae ſuſtentationem neceſſaria uidentur, et ſine quibus quis ali et conſeruari non poteſt, inter quae etiam ſunt ueſtimenta *tit. π. de aliment. et cibar. legat.* itemque *l. 43. π. de V. S.* ibi: *Veſtem quoque uictus habere uicem, Labeo ait.* HILLER. de *Expenſ. Stud. n. 65. pag. 54.* ubi VALLAM, qui putauit ueſtes ad alimenta non pertinere, propterea, quod Aethiopes ſine ueſte commode uiuant, recte notat. namque hic de Romanis, eorumque moribus ac inſtitutis, apud quos nec honeſtum, nec commodum eſt, ſine ueſte uiuere, nudumque incedere, ſermo eſt. Ex quo intelligimus, legato alimentorum

maſche-

mascheras non comprehendi, quippe quae ad sustentationem uitae humanae minus necessariae sunt: multo uero magis tum exclusae erunt laruae, si usus earum plane sit prohibitus. Vid. Dn. Parens in *Oeconom. Iur. lib.2. tit. 4. §. 27. not. 3. pag. 407.*

§. LVIII.

Tutorem incertum dari non posse, ita scilicet, ut is talis sit, qui primus personatus in Bacchanalibus compareat, supra fuit dictum. Non potuisse etiam incertae personae legari quid olim, uel per fideicommissum relinqui, multo minus heres institui, ne a milite quidem, discimus ex Ivstiniano, *§. 25. I. de legat.* Sed Ivstinianvs noua constitutione, quae quidem abest a Codice Iustinianeo, quem repetitae praelectionis uocamus, cauit, ut incerta persona ne uitiet institutionem, legatum uel fideicommissum, si uel in praesens, uel ex futuro euentu certitudo aliqua apparere possit, *§. 27. I. de legat.* Fac itaque, Titium legasse 100. illi, qui primus uel ultimus in Bacchanalibus compareat personatus, uel qui hac uel illa maschera conspiciendum se exhibeat: ualebit legatum, si nimirum postea constet, quisnam ille sit, qui tempore testamenti conditi, ignotus fuit. Aliud esse in tutore, Ivstinianvs ipse indicat *d. §. 27. I. de legat.* rationem differentiae addens, quae a nobis iamiam indicata est. Sed iterum tamen hic supponendum est, usum mascherarum non esse prohibitum. Nam hoc si foret, legatum inane esset. Pariter, si quis ita cauisset: *Testamento illis, qui, dum funus meum ducitur, personati*

Incertae personae legari potest larua.

illud circumeunt et ſequuntur, do, lego 100, deriſoria eſſet uoluntas, ut ſupra dictum, atque adeo nihil deberi.

§. LIX.

Agnati non capiunt larvas iure Heergewethae, pertinent tamen ad geradam.

Delibemus etiam pauca ex argumento ſucceſſionis ab inteſtato. Scilicet uariis in locis ſtatuta ſunt, in quibus ueſtium ratio haberi ſolet. Ita in Saxonia ad Heergewetham quotidianae ueſtes referuntur, Carpz. *P. 3. C. 38. D. 25. n. 4.* Quoniam autem maſcherae ueſtes quotidianae non ſunt, conſequens eſt, agnatos non poſſe maſcheras capere iure Heergewethae. E contrario, quum omnia ueſtimenta, quae mulier habet, ſecundum uſum fori, ad Geradam pertineant, Hartm. Pistor. *Lib. 1. qu. 32.* nemo dubitabit, etiam talia ueſtimenta, quae inſeruiunt maſcheris, immo etiam pannum quemcunque, ad illas formandas inciſum, licet nondum conſutum, ad Geradam quoque pertinere, Carpz. *P. 2. C. 14. D. 32.* Richter. de *Succeſſ. ab inteſtat. Sect. I. M. 1. n. 69.* Ceterum, ubicunque uxor ſub collatione bonorum ſuorum accipit ſtatutariam portionem, ut in Electoratu Saxoniae *Conſt. 20. P. 3.* Gerada et cum hac et haec ueſtimenta conferri debent, *d. Conſt. 20. P. 3.* ibidemque Carpzov. *Def. 24.* Conf. Dn. Parens, *Oecon. iur. lib. 2. tit. 4. §. 51. not. 2. pag. 495.* Quod et in Marchia fieri ſolet, ubi uxor, portionis ſtatutariae loco, dimidiam capit, atque omnia bona ſua conferre debet, ergo et ueſtimenta, Kohl. ad *Conſt. Marcb. de Succ. coniug. qu. 8. num. 6.* Köppen. *Deciſ. Quaeſt. 6. n. 7. ſeqq. et quaeſt. 14. n. 9.* More tamen receptum uidetur, ut ueſtimenta utriuſque coniugis collationi eximantur, et, dum

dum uxor ſuccedens ueſtimenta ſua praecipua capit, mariti quoque heredibus huius ueſtimenta relinquere debet, PRVCKMANN. *Vol. I. Conſil. 48 n. 109.* DN. STRYK. de *Iure ueſt. c. 5. n. 33.* Qua ſtante conſuetudine idem de maſcheris dicendum erit.

§. LX.

Diſpiciamus etiam pauliſper de liberorum collatione. Scilicet fac liberos, filium uel filiam, maſcheras accepiſſe, uel pecuniam in hanc rem impendendam, quaeſtio oriretur: Vtrum illas maſcheras, uel pecuniam illam, conferre debeant? Circa quam quaeſtionem diſtinguendum eſſe, credo, inter maſcheras uiles, et illas, quae nullam uel exiguam utilitatem praebent poſt uſum, et inter pretioſas ac illas, quarum materia, ex qua factae, alium etiam uſum, quam ludicrum iſtum, praebere poteſt: Has utique conferendas eſſe, uel ſaltem illarum aeſtimationem, ſi non extant, quatenus nempe liberi locupletiores inde facti, exiſtimo, *l. 2. §. 2. π. et l. 6. C. de Collat.* Vid. DN. PARENS, in *Oecon. iur. lib. 2. tit. 4. §. 51. not. 4. pag. 495.* Siue quatenus illae res ſuperſunt adhuc tempore mortis, neque fraude alienatae ſunt. Illas uero, arbitror, conferendas quidem eſſe, ſi reperiantur in eo ſtatu, in quo ſunt: Sin corruptae, uel plane amplius non extent, nihil eorum nomine conferendum erit, cum nullum inde commodum habuerint liberi, atque pater animi tantum cauſſa, aut ſui honoris, cum filius in aula forte fuit, hos ſum-

Laruae pretioſae a liberis conſerendae ſunt.

tus fecerit, uel fieri passus sit. Neque etiam hocce casu, quod culpa desierint possideri, ex *l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. π. Eod.* obiici potest, cum in his rebus leuibus, quae tantum uoluptati destinantur, culpa aestimanda non ueniat. Plane, si de donatione simplici harum rerum constet, etiam filiaefamilias facta, nihil esse eo nomine conferendum, concludo, arg. *l. pen. §. 1. C. de Collat. l. 18. pr. C. famil. hercisc.* quam sententiam nouissime propugnat DN. PARENS, in *Resol. Lauterb. tit. de Collat. qu. 2. pag. 585.* ubi temperamenta quoque huius sententiae habentur et in *Oeconom. Iur. lib. 2. tit. 4 §. 51. not. 8. pag. 498.*

§. LXI.

Studiosus in laruas sumtus collocans, eosdem confert.

Sumtus studiorum non conferendos esse, nemini ignotum est, *l. 50. π. fam. hercisc. Decis. Elect. Sax. 50.* Varias dari huius rei exceptiones etiam notissimum est. Inter quas referunt casus, si in malos usus, luxum, aut in alios usus collocati, quam in studia, arg. *l. 1. §. 23. de Collat.* HILLER, *de Expens. Stud. n. 68. seqq. pag. 57.* BRVNNER. de *Collat. c. 4. n. 84.* DN. PARENS, *cit. loc. not. 8. pag. 497.* Quale quid etiam habetur in *d. Decisione nostra Nou. 50. §. ult.* KREMBERGK, de *Sumt. Stud. Quaest. 1. Limit. 4. pag. 234.* HILLER. *loc. alleg.* SCHOEPFFER, *Dissert. de Sumtib. stud. cap. 3. n. 50.* Cum ergo sumtus, in mascheras impensi, studiorum sumtus dici nequeant, neque ad eos priuilegium hocce pertinebit, si maxime, pecuniam in malum usum impensam, dicere uelimus.

§. LXII.

§. LXII.

In hercifcunda familia laruae uetitae et inuentae abolendae.

Quod ſi uero iudicium familiae herciſcundae ineatur, et in hereditate maſcherae illae inueniantur, lex uero aut ſtatutum adſit, quae, quodue, rebus uetitis annumeret, in iudicium familiae herciſcundae quidem ueniunt, ſed non ut diuidantur, uerum ut aboleantur et corrumpantur. Boni enim et innocentis uiri officio iudicem hic fungi oportet, *l. 4. §. 1. π. famil. herciſc.* Quae tamen corruptio ita fieri debet, ut materia, ſi quam utilitatem praeſtare debet, ſalua maneat heredibus, niſi fortaſſe lex uel ſtatutum id ſecum ferat, ut eripiantur eiuſmodi maſcherae poſſeſſoribus, et dedicentur fiſco, tunc enim procul dubio in commiſſum cadunt.

§. LXIII.

Vouens Deo, quod a laruis abſtinere uelit, nec ſi Princeps iubeat, uotum uiolare debet.

Miſſis, quae ex argumento ultimarum uoluntatum huc trahi poſſunt, ad argumentum obligationum eſt deſcendendum, et ita quidem, ut, neglectis generalioribus ad ſpecialia deueniamus. Notum autem eſt, obligationem ex facto obligatorio licito, puta, promiſſione; uel illicito, h. e. delicto, oriri, uel ex facto quodam extraordinario, quod ad neutrum horum referri poteſt, de quo a Dn. Parente in *Reſolut. Lauterbach. tit. de oblig. et act. pag. 680. et Oecon. Iur. lib. 3. tit. 1. §. 5. pag. 562.* actum. Factum autem licitum conſiſtit uel in ſimplici promiſſione, quae fit ab uno, ſine aliqua conuentione, uel quae fit mediante conuentione inter duos. Ad prius genus referunt uotum

tum et pollicitationem. Prius fit Deo; pollicitatio uero Reipublicae, aut uniuerſitati, *tot. tit. X. et in 6to de uoto et uoti redemt. l. 1. pr. et l. 4. π. de pollicitat.* Votum maſcherarum reſpectu fieri poteſt, ſi quis, agnoſcens uanitatem huius rei, uoueat et Deo promittat, ſe nolle amplius rebus mundanis hiſce uti, ſed plane ab uſu maſcherarum abſtinere. Quod uotum pium utique eſt et Chriſtianum, atque adeo ſeruandum. Namque tendit ad peccata cautius uitanda ac ueterem hominem arctius conſtringendum, ad uocationis officia diligentius expedienda, adeoque ad Dei gloriam et hominis ſalutem, GERHARD. *Loc. Theolog. de Coniug. c. 10. ſect. 1.* BALDVIN. de *Caſib. conſcient. lib. 2. cap. 8. Caſ. 1.* Sed, quod ſi forte caſus eueniret, uti is, qui in aula Principis degit, a Principe iuberetur maſcheratus incedere, dubium naſci poteſt, an uotum tantiſper ſeponere poſſit, ut principi placeat? Sane abſolui a uoto uouentem, ſi ſuperueniat tale impedimentum, quod non patiatur, ut quis poſſit implere uotum, docent PANORMITANVS ad *cap. 4. n. 3. X. de uoto.* B. BRVNNEMANN. in *Iur. Eccleſ. lib. 2. cap. 7. §. 10.* Sed neſcio, an tale interdictum Principis, quod nullum alium, quam uoluptatem, finem habet, tanti ſit, ut, illaeſa conſcientia, ideo uotum diſſolui oporteat. Nec Princeps facile reiiciet hanc cauſſam, ſi modo modeſte indicetur. Fac uero, omnino Principem id exigere, ſatius erit, illum offenſum habere, quam Deum. Dubio illud caret omni, nec a nobis negabitur, ſalua uoti religione, maſcheram uel perſonam indui poſſe, ſi ob alium finem, eundemque licitum et bonum,

quam

quam iucunditatem, hoc fiat, puta, ſi neceſſitas id efflagitet, atque imminens periculum, aut publica utilitas.

§. LXIV.

Ceterum notum eſt, patrem et dominum, item etiam maritum irritare poſſe uota liberorum, ſeruorum et uxoris, propterea, quod eiuſmodi perſonae liberam facultatem ſe obligandi non habent, *Num. XXX. 6. l. 2. §. 1. π. de Pollicit.* Sed, quoniam tamen haec uota mere perſonalia ſunt, nec laedunt patrem, dominum et maritum, nec etiam diſciplinam domeſticam, immo multo magis eam iuuant; nec pater, nec dominus, nec maritus, illa impedire debent, uel adigere ſuos, ut uoto aduerſentur. Conf. B. Stryk. ad Brvnnemann. *Ius Eccleſ. d. l. pag. m. 417.*

Nec pater, nec maritus, irritum facit uotum nunquam adhibendarum laruarum.

§. LXV.

Poterit tamen et pater liberos ſuos aſtringere, ut ne unquam inter maſcheratos deprehendantur, adeoque exigere reuerentiam et honorem, parentibus debitum, ut huic mandato non refragentur, quod patet exemplo Rechabitarum, apud Ieremiam, *c. XXXV.* quos Deus laudibus extollit, et inſigni praemio ornat, quod praeceptum Ionadabi, patris, uel proaui, ſancte cuſtodirent.

Pater poteſt prohibere liberis laruas.

§. LXVI.

E contrario, ſi quis Deo uoueat ac promittat, ſe uelle maſcheris uti, et intereſſe his coetibus, ille ſa-

Deo uouens uſum laruarum, ueni-

carere possumus. Et sane pauperes, quorum gratia illa νομοθεσία obseruatur, uix possident mascheras, atque adeo otiosa fere quaestio est.

§. LXXII.

Laruae comprehenduntur hypotheca generali et tacita etiam hypotheca.

Magis uero illa habere posset locum: An hypotheca generali, quas quis habet, habiturusue est, mascherae quoque contineantur? Scilicet a generali obligatione excipiuntur, quae, uerisimile est, quenquam speciatim obligaturum non fuisse. Inter quas etiam res uestimenta referuntur, *l. 6. π. de pign. et hypoth.* Extendunt hoc Dd. nonnulli ad uestes omnis generis, etiam festiuas et scenicas, ANTON. MONACH. de *Exec. in uestib. c. 1. n. 23. seqq.* Sed uix est, ut probari haec sententia possit, quoniam in hasce uestes ratio non cadit, quae in quotidianas, quarum longe maior est necessitas, quam illarum, adeoque hae quidem ob necessitatem exceptae uidentur, non autem festiuae, B. STRYK. de *Iur. uestiar. c. 4. n. 57.* Quod si ergo festiuae sub obligatione tali generali comprehendantur, nec uideantur exceptae, neque exclusae uidebuntur mascherae, quippe quarum adhuc longe minor est necessitas. Multo minus illae exceptae erunt a generali tacita hypotheca, BRVNNEMANN. ad *d. l. 6. π. de pign. et hypoth.*

§. LXXIII.

In depositum etiam laruae cadunt.

Ex titulo depositi, in quod uestimenta et mascherae cadere possunt sine dubio, casum nobis suggerere potest lex illa elegantissima *l. Bona fides 31. π. Deposit.*

Deposit. Scil. finge, deposuisse Titium apud Sempronium mascheras: Fac porro, mascherarum usum plane esse interdictum, omneque illarum commercium esse prohibitum, fiscoque uindicari has res uetitas: Vtrum ne deponenti mascherae sunt reddendae, an in publicum deferendae? Dubium uidetur. Si naturale tantum et gentium ius intuemur, ei, qui dedit, restituendae sunt; Sin ciuile ius et legum ordinem, in publicum potius tradendae. Nam male meretur publice, qui eiusmodi res uetitas seruat, ac interest, ut exemplo aliis sit, hique discant legibus publicis obtemperare.

§. LXXIV.

Stipulationes laruarum frustraneae.

Post contractus reales, sistunt se uerborum obligationes, quae nonnulla, nobis etiam delibanda, suppeditabunt. Si quis e. c. ita stipulatus sit: *Si in locum, ubi personati congregantur, non asscendero*, uel: *Si personatus nunquam incessero, dare spondes?* perinde erit, ac si stipulatus esset, cum moreretur, sibi dari, *§. 4. I. de V. O.* Nam ex neutra ante mortem agi potest. Quamuis alias haec differentia subsit, quod stipulatio, cum moriar, in diem sit, nec differat obligationem, illa autem sit conditionalis. *l. 18. π. de cond. instit.* Poterit etiam talis sponsio fieri, ut quis mascheras ne induat, uel personatorum ingrediatur coetum, adiicique poena: *Si ita factum non fuerit*, uel: *Si aduersus ea factum erit, tunc, poenae nomine, 10. aureos dare spondes? §. 7. I. de V. O.* Qua poena optime coerceri potest sponsoris temeritas, cui non fuit religio, fidem frangere datam.

In-

tuum quaestio se sistit: An mascherae mutuo dari possint? Scilicet cum mascherae in uestimentorum numero sint, uestimenta autem inter res fungibiles non referantur, h. e. tales non sint, quae ex pondere, numero aut mensura ita aestimari et dignosci possint, ut res mutuo datae et restitutae unae eaedemque esse uideantur, unaque alterius uice recte fungatur, *l. 2. §. 1. π. de reb. cred.* ideoque concludo, mascheras non esse res mutuo dandas. Fac uero, ita concessas esse, ut non eaedem, sed similes, eiusdemque aestimationis reddantur, atque adeo per modum quantitatis; nec tamen, mutuum subesse, puto, quin potius contractum innominatum permutationis, arg. *l. 5. §. 1. π. de praesc. uerb. l. 6. C. de Rer. permut.* Arbitror tamen, dari casum posse, ubi mutuum laruarum celebrare licet. Certe Romae, Venetiis, Mediolani, aliisque in locis, quam plurimae laruae, quibus uultus cooperitur, ex cera, uel alia materia, sub eadem forma conficiuntur, atque ad numerum binae, duodenae, uendi solent. Quod si itaque tres, uel duodecim, alicui dentur, hac lege, ut totidem eiusdem generis et bonitatis restituantur, non uideo, cur non mutuum hoc negotium dici queat. Macedonianum SCtum obesse illi, qui filiofamilias pecuniam mutuam dedit, neminem fugit. Multo magis tum oberit, si ad usum mascherarum data, uel si a mercatoribus uenditae mascherae, et utilis exceptio afferri potest, WISSENBACH. ad *π. Disp. 28. Lib. 14. th. 27. pag. 290.* Aliud uero erit, si pater solitus hos sumtus filii caussa facere, et sic praesumta eius adsit uoluntas: hoc casu sane nil proderit istud

argu-

argumentum, *l. 7. §. 13. seq. π. de SCto Maced. l. 2. 4. 5. C. ad SCt. Maced.* Vid. Dn. Parens, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 2. §. 2. not. 10. pag. 578.*

§. LXX.

In commodatum laruas cadere posse, nemo dubitat, pariter, ac alia uestimenta. Potest enim illius esse usus sine consumtione, licet per usum deterior possit fieri, ut supra dictum, quod detrimentum aequo dominus animo ferre debet, quippe quod ante praeuidebat. Illud autem praesertim hic annotari meretur, ratione mascherarum, casum existere saepe posse, ubi commodantis, uel utriusque, caussa, maschera commodatur, atque sic tantum culpa leuis, uel lata contra regulam communem praestanda est, si scilicet maritus uxori, uel dominus famulo, mascheram commodet in huncce finem, ut, mariti uel domini caussa, ornatiores incedant, *l. 18. pr. π. commod.* Ceterum, si fortasse mascheram meam tibi dedi, ut alia die tuam mihi utendam des, contractus innominatus inter nos erit celebratus, *l. 17. §. 3. π. de praesc. uerb.* *In commodatum laruae cadunt.*

§. LXXI.

Pignori dari posse mascheras, quis dubitet? In iure Mosaico quidem seuere prohibitum est, uestes quotidianas pignoris loco accipere, *Exod. XXII. 26.* quod et merito ab omnibus obseruatur, ne miser debitor, si alia ueste careat, nudus incedere cogatur. At nihil haec ad mascheras nostras. Neque enim uestes sunt quotidianae, nec necessariae, quibus facile *Pignori dari possunt laruae.*

 carere

am a Deo petere debet.

ne absque omni dubio meretur, ut accenseatur iis, qui stultas ac ineptas res uouent, uel tales, quae periculum animae, corporis etiam, saepe secum ferunt. Quodsi tamen stultus adeo quis fuerit, ut uotum simile emiserit, satius est, temeritatis ueniam a Deo petere, quam satis uoto facere, quod Dei honorem minime promouet, et peccandi suggerit occasionem.

§. LXVII.

Polliceri quis potest pecuniam et aedes in usum laruarum, si licitus sit; sin minus, in alium conuertitur.

Polliceri quem potuisse Reipublicae in usum uoluptarium, satis notum est. In *l. 5. π. de Pollicit.* mentio fit pollicitationis, muneris edendi gratia, h. e. spectaculi, *l. 122. π. de legat. 1* in *l. 8. π. Eod.* promissi operis proscenii, et in *l. 10. π. d. tit.* solennis formula habetur largitionis et dedicationis in praemia thymelicorum, qui quales fuerint, exponit Iacob. Gothofred. ad *l. 5. C. Theod. et ult. de scenic.* Ex quo sequitur, polliceri quem etiam posse aedes, in usum mascheratorum, uel pecuniam in usum mascherarum, hilaritatis publicae caussa. Quod si tamen usus hisce interdictus sit, pollicitatio eiusmodi non est obseruanda, *l. 13. §. 1. π. de Pollicit.* Neque etiam rei illicitae ulla obligatio alias est, *l. 185. π. de R. I.* Equidem uideri posset, esse obligationem, sed ita, ut in aliam rem promissum impendendum sit, arg. *l. 16. π. de usu et usufr. legat.* Sed nescio, an ab ultima uoluntate, quae fauorem meretur, et ab illa dispositione, quae heredis lucrum impedit, ad actum huncce inter uiuos argumentum capi possit. Est itaque, ut potius persistam in sententia, nihil deberi. Sane, si ille, qui pol-

licitus

licitus eſt, id, quod promiſit, iam praeſtitit, et poſtea interdictum interueniat, uel etiam iam adſit: tunc in uſum alium id, quod praeſtitum eſt, conuerti poſſe, nemo dubitabit.

§. LXVIII.

Conuentionis duo eſſe genera, pactum et contractum, quorum utrumque in diuerſas iterum partes abit, notiſſimum eſt, quae explicari, hoc loco non attinet. Generatim uero id obſeruandum, maſcheratos homines inter ſe, uel cum aliis, non perſonatis, paciſci et contrahere poſſe, pactaque et contractus inter illos ſubſiſtere, quatenus certum, intellectum recte fuiſſe informatum, et uoluntatis ſigna illos edidiſſe, h. e. quatenus de conſenſu illorum conſtat, *l. 1. π. de pactis.* Qui conſenſus non temere praeſumendus eſt inter hoſce iocos, licet fortaſſe ſigna eius quaedam ediderint, ſed exiſtimandum potius, iocandi cauſſa illud eſſe factum, niſi aperte de uero conſenſu conſtet, Conf. CARPZ. *Part. 2. Conſt. 1. Def. 2. n. 2.* ibidemque *alleg. DD.* Quo loco repetenda ſunt ea, quae *cap. 4. Sect. 1. §. 25. ſeqq.* circa ſponſalia expoſuimus. Excludimus uero et hic maſcheras a contractibus iudicialibus, quae, ut ſaepius dictum, ſanctitatem iudiciorum intrare non debent.

Laruati inter ſe et cum aliis contrahere poſſunt.

§. LXIX.

Percurramus nunc pauliſper contractus, quos IVSTINIANVS in Inſtitutionibus nobis ſuggerit, et primo quidem contractus, nominatos reales, ubi circa mu-

Perſonae mutuo dari poſſunt.

Inutilis uero ſtipulatio haec eſt, ſi quis rem ſacram, aut religioſam, in uſum maſcherarum ſtipulatus ſit, *§. 2. I. de inutil. ſtipul.* uti et tunc inutilis erit ſtipulatio maſcherarum, ſi uſus illarum plane interdictus, et commercio omni illae ſint exemtae. Porro, ſtante tali interdicto, conditio maſcherarum uitiat ſtipulationem, ſiue affirmando, ſiue negando, adiecta fuerit. Siue itaque dictum: *Dabo tibi 100. aureos, ſi maſcheratus incedas*, uel: *Dabo tibi 100. ſi id non facias*, nihil ualet ſtipulatio, *§. 10. I. de inutil. ſtipul. l. 123. π. de V. O. l. 7. §. 3. π. de pact.* Namque prima formula continet conditionem per legem non implendam; ultima autem ideo reprobatur, quod turpe eſt, pro facto illicito, non faciendo, mercedem paciſci, aut aliud quid accipere, *d. l. 7. §. 3.* Hinc, quod datum eſt, repeti poteſt condictione ob turpem cauſſam, *l. 2. et l. 4. §. 2. π. de condict. ob turp. cauſſ.* Amplius, ſtante eiusmodi lege prohibente, obligatio, ut perſonas induere quis uelit, pro turpi habenda erit, contra bonos enim mores eſt, atque adeo non ualet, *§. 23. I. de inutil. ſtipul. l. 26. ſeq. et d. l. 123. π. de V. O.* Immo fac, uſum maſcherarum eſſe licitum, nemo tamen dubitabit, illam obligationem et conditionem turpem et iure prohibitam eſſe, ſi quis promittat homicidium, ſacrilegium, furtum, adulterium, ſtuprum, uel iniuriam facere ſub larua, uel, ſi ſub conditione improba, ut talis res fiat, aliquid polliceatur. Plura poſſent ex ampliſſimo hocce argumento adduci, ſi prolixioribus eſſe nobis, inſtitutum permitteret, quod ad finem iubet properare.

§. LXXV.

Antequam uero a materia uerborum obligationum abeamus, id uel ſummo digito tangendum, obligationibus, ratione maſcherarum initis, fideiuſſores accedere poſſe, qui eodem iure utuntur, ac reliqui fideiuſſores omnes. Cui addimus, feminam, uirilibus ueſtibus indutam, ſi pro aliis ſe obligauerit, beneficio Velleiano uti non poſſe, cum ita deceperit creditorem, *l. Feminis 18. Cod. ad SCtum Vellei. l. 2. §. 3. π. Eod.* Vid. DN. PARENS, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 3. §. 8. not. 8. pag. 615.* ZAHN. de *Mendac. lib. 2. c. 62.* Ea uero, quae de literarum obligatione in noſtro iure habentur, facile ad noſtrum thema trahi poſſunt.

Obligationibus, ratione laruarum, fideiuſſores accedere poſſunt. Femina, uirili larua induta, cum pro alio fidem dedit, beneficio Velleiano non fruitur.

§. LXXVI.

Aggredimur contractus conſenſuales, et inter illos primum emtionem uenditionem, circa quam illud notandum, uti omnium aliarum rerum ius eſt emendi atque uendendi, niſi exceptio probari poſſit, *l. 34. §. 1. π. de contrahend. emt.* ita etiam id de maſcheris eſt dicendum, niſi fortaſſe commercio ſint exemtae, prout ſupra diximus. *c. 4. Sect. 2. §. 39.* Quo caſu contractus nullus eſt, *l. 6. pr. l. 34. §. 2. et 3. l. 70. π. dict. tit.* niſi talem ignorauerit eſſe uterque uel ſolus emtor, nam tum uenditor obligatur ad intereſſe, *l. 4. et dict. l. 34. §. 3. π. Eod.* niſi habuerit iuſtam ignorantiae cauſſam, VINN. ad *§. ultim. I. de emt. et uendit. in fin.* uel etiam ſolus uenditor ſi ignorauit, ſolutum non repetitur, per *dict. LL. et Dd. In Conſtitution. Roman. §. 15.* inter alia prohibi-

Datur ius emendi et uendendi laruas.

tum est tabernariis, ne uendant oua, in huncce finem adaptata, ut proiiciendo alii conspurcari possent, sub poena triplicis tractus funis et 25. scutatorum.

§. LXXVII.

Si in corpore laruae erratum sit, uenditio nulla est.

Vti uero alias, si in corpore uel in tota materia rei emtae uenditae erratum sit, uenditio nulla est, Conf. DN. PARENS, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 5 §. 17. pag. 671.* ita id etiam ad mascheras applicari potest. Si e. g. uendens de hac maschera, emens de alia sensit, nulla est emtio, *l. 9. pr. π. de contrahend. emt.* item, si quis mascheram, tanquam auream uel argenteam emat, quae tamen aerea tantum est, uel si emat tanquam gemmis exornatam, postea tamen loco earum uitream deprehendat, *l. 9. §. 2. l. 14. l. 41. §. 1. π. Eod.* siue unus siue uterque hic errauerint, Vid. LAVTERBACH. ad *d. tit.* ubi plane inueniuntur, quae ad hanc rem faciunt, ad quam etiam pertinebunt ea praesertim, quae de dolo, caussam dante huic contractui, in iure nostro habentur. Discimus uero ex *l. 17. §. 9. π. de act. emt. et uend.* statuas, hominum uel animalium figuram repraesentantes, quae aquas ore, rostro, mammis uel mentula proiiciunt, personas dici, et, uti in uilla sunt, sic, cum uilla uenditur, simul transire ad emtorem.

§. LXXVIII.

Locatio conductio datur in laruis, non contractus

Sequitur locatio. Equidem alias bonus paterfamilias uestimenta sua locare non solet, *l. 15. §. 4. π. de Vsufr. et quemad.* Quod si tamen id facere uelit, nihil est, quod prohibeat, cum quilibet sit rei suae moderator

derator et arbiter, *l. 21. C. mand.* Interim tamen ſcenicae ueſtes inter res locari ſolitas referuntur, *d. l. 15. §. 5.* Si quis enim cum artifice uel ſarcinatore ita conuenit, ut hic ex ſuo auro uel alia materia maſcheras faciat, emtio uenditio erit, *§. 4. I. de loc. cond. l. 2. §. 1. π. eod.* Sin ſuum aurum uel aliam materiam dedit, mercede pro opera conſtituta, erit locatio conductio, *dict. text.* Conf. DN. PARENS, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 5. §. 19. not. 2. pag. 678.* atque adeo etiam maſcherae noſtrae ad locata conducta pertinent, modo commercium earum non ſit interdictum. Quod ſi uero emtio uenditio prohibita, maſcherarum etiam locatio illicita erit, tum laruarum, tum operarum, ad eas conficiendas. Quod inde patet, quia alioquin fraus legi fieret. Eadem uero ratio, quae prohibet emtionem, prohibet etiam locationem, arg. *l. 30. π. de LL. l. 32. π. ad L. Aquil. l. 2. π. locat.* Vid. *dict. ad §. 39. p. 225.* Interdum etiam extant ſpeciales de locatione prohibentes leges, quale exemplum ſupra, de diebus feſtis ubi actum, adductum. Contractum uero Emphyteuticum in has res non cadere, quilibet intelligit, cui natura emphyteuſeos non eſt incognita. *Emphyteuticus.*

§. LXXIX.

Circa ſocietatem obſeruamus, nullo extante interdicto, perſonas eſſe res tales, ex quibus quaeſtus in ſocietate quaeri poteſt. Quod ſi autem prohibitas et commercio exemtas fingas, nulla erit hac parte ſocietas, *l. 57. π. pro ſoc.* ſi tamen nihilominus unus uel uterque ex tali negotiatione lucrum cepit, locus *Ex perſonis quaeſtus quaeri poteſt.*

 erit

erit decisioni, quae in *l. 53. seq. d. t.* habetur. Quod si societas omnium bonorum sit contracta, atque unus ex sociis sumtus quosdam faciat, ut personatus sese exhilarare possit, existimo, occupationem hancce societatem ferre, *l. 73. π. Eod.* modo non nimias faciat hanc in rem impensas socius, tum enim alter utique impedire potest, ne tale quid fiat, arg *l. 28. π. Com. diu.*

§. LXXX.

Quid si socius laruis perdat aes.

Quod si fortasse socius ob usum laruarum, uel quod personatus iniuriam alicui fecit, condemnatus, quid praestiterit, si, iniuria iudicis condemnatus, ex communi consequitur, ut praestet, si ob maleficium suum, ipse tantum damnum sentire debet, *l. 52. §. ult. π. pro soc.*

§. LXXXI.

Qua actione teneatur artifex, cui laruam conficiendam dedi.

Circa mandatum libet illam quaestionem mouere: Qua actione teneatur sartor, uel alius artifex, cui ego personam conficiendam uel reficiendam commisi? Sane, si certam mercedem ob illam operam promisi, locatio conductio erit, *§. ult. I. de mand.* sin nulla merces promissa, sed opifex ex amicitia gratis operam in se recepit, erit mandatum. Nam licet non adeo frequens sit, eiusmodi res gratis fieri, (quod Bachovium mouet ad *d. §. ult. I. de mand.*) non tamen plane est insolitum, *l. 22. π. de praescript. uerb.* Quod si porro, nulla mercede constituta, ita rem dedi artifici, tantum postea daturus, quantum inter nos conuenerit,

uenerit, contractus innominatus celebratus eſt, et actio praeſcriptis uerbis locum inueniet, *§. 1. I. de loc. cond.*

§. LXXXII.

De cetero, ſi mandem Titio, ut faciat aliquid perſonatus, ut furtum committat, uel aliud quid, quod contra bonos mores eſt, mandatum illud inter mandantem et mandatarium non eſt obligatorium. Itaque, ſi poenam facti mandatarius praeſtiterit, non tamen ullam aduerſus mandantem habet actionem, *l. 6. §. 3. l. 12. §. 11. l. 22. §. 6. π. mandat. et §. 7. I. de mandat.* Immo non tantum mandatarius, ſed etiam mandans obligatur ex tali delicto, tum laeſo, tum etiam publicae rei, *§. pen. in f. I. de Iniur. l. 11. §. 3. π. Eod. l. 5. C. de accuſat. et inſcript.* Declarationes atque explanationes huius rei apud Dd. et in compendio apud Hvber. et Hopp. ad. *d. l. Inſtit.* uideri poſſunt. Confer. etiam Dn. Parens, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 5. §. 36. pag. 709.* *Mandatum improbum etiam apud laruatos non eſt obligatorium.*

§. LXXXIII.

Addere quaedam lubet ex quaſi contractibus, et quidem contra tutelae adminiſtrationem repeti hic poſſent, *quae ſupra dict. c. 4. Sect. 1. §. 39. ſeq.* Qui aliquem ſine mandato ueſtit, qui neceſſariis tamen ueſtimentis indigebat, habebit actionem negotiorum geſtorum aduerſus illum, qui obſtrictus erat ueſtire, arg. *l. 2. π. de neg. geſt.* Quaeſtio uero eſt: An hoc ad perſonas applicari poſſit, ita, ut, ſi e. g. quis filiofamilias uel ſeruo laruas ſuppeditauerit, uel ipſius cauſſa emerit, pater poſſit ideo conueniri? quod utique negandum eſt, quo- *Qui alicui ſine mandato laruas emit, non habet actionem negotiorum geſtorum.*

 niam

niam haec ueſtimenta non neceſſaria ſunt, et ſatius eſt ſaepe, filium iſtis carere. Quod ſi tamen pater conſueuit, perſonas dare filio, uel in aula uiuat hicce, ita, ut non poſſit commode hiſce ſe rebus ſubducere, aliud utique dicendum foret, arg. *l. 3. §. 3. π. de in rem uerſ. l. 5. C. ad SCt. Maced.* Si mater in perſonas liberorum ſumtus facit, ex regula praeſcripta putantur, pietatis cauſſa facti eſſe, non animo repetendi, ſecundum famoſam illam legem, *Neſennius 34. π. de neg. geſt.* Sed quid ſi in laruas, rem ſcilicet non adeo neceſſariam et magis nocentem, quam utilem, impenſas fecit: Quid quaeſo tum iuris? Sane dubito, pietatem hic praeferri poſſe, et amorem erga liberos, ordinatum nimirum et recte ſe habentem. At tamen ceſſare repetitionem et actionem negotii geſti, puto, quoniam pecunia haec non eſt utiliter impenſa, arg. *l. 2. l. 27. l. 45. π. Eod.* Circa negotium familiae herciſcundae repetenda ſunt, quae ſupra adducta.

§. LXXXIV.

Fulloni, cui larua conficienda fuit, amiſſae illius actio competit non domino.

Deueniendum iam eſt ad facta illicita, delicta ſcilicet, et quidem primum illa, quae priuata dicuntur. Vbi quidem circa factum notamus, eo caſu, ſi fulloni, uel alii artifici, uel ſarcinatori, perſona polienda, curanda, ſarciendaue, mercede conſtituta, data fuerit, hicque eam forte amiſerit, ipſum habere actionem, non dominum, quia nihil huius intereſt, eam rem perire, cum iudicio locati, a fullone, ſarcinatore, uel alio artifice ſuum conſequi poteſt, ſi nimirum hi, et in quantum, ſoluendo ſint, *§. 13. §. 15. I. de Oblig. quae*

ex del. nasc. Veteres idem ad illum, cui res commodata est, transtulerunt, sed IVSTINIANVS noua decisione, quae inter 50. illas est, *l. ult. C. de furt.* optionem dat domino, num actione furti contra furem agere, uel iudicio commodati commodatarium conuenire uelit. Ita tamen, ut, electione semel facta, non liceat uariare, nisi ex caussa ignorantiae, idque ante factam solutionem, §. *16. I. de Oblig. quae ex del. nasc.* Depositario uero actio furti non competit, si illi res est surrepta, quoniam culpam non praestat leuem, §. *17. I. Eod.* nisi fingas casum, ubi et haec praestanda. Ceterum, si per ipsius dolum res surrepta, uel latam culpam, quae hac parte dolo aequiparatur; praestat quidem tunc illam, et sic interesse uidetur, non tamen actionem habet furti, quoniam indecens est, ob dolum actionem acquiri, *l. 14.* §. *3. π. de furt.* Vid. tamen LVDWEL, ad *d.* §. *17. de Oblig. quae ex delict. nasc.* Bonae fidei uero emtori et creditori actionem furti dari, omnino IVSTINIANVS docet in §. *15. I. Eod.* Tandem in mentem uenit, apud antiquos Romanos personarum usum in inquirendo furto fuisse, quod cum lance et licio uocabant. Scilicet, si quis furtum apud quempiam uolebat quaerere, nudus suspectas aedes ingrediebatur, amictus tamen simplici cincticulo, quod licium uocabant, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias aut uirginum praesentiam, quod ex Atheniensium institutis ad Romanos uenisse, ex PLATONIS *Libr. de Legib.* discimus, §. *4. I. de Obl. quae ex del. nasc.* Sed iam dudum id exoleuisse GELLIVS monet, *Noct. Attic. lib. 11. cap. ult. et lib. 16. cap. 10.*

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Laruatus, in aedibus alienis noctu deprehensus, pro fure habetur.

Fures ceteroquin et ſacculariosb, ut eo felicius artificium exercere queant, aliorum perſonas induere, atque furta et latrocinia a laruatis commiſſa eſſe ſaepius, experientia teſtatur. Quod ſi itaque in aedibus alienis laruatus, praeſertim noctu, deprehendatur, et eo tempore uel loco, ubi perſonarum uſus non eſt, repertus ſit, haud leue indicium eſt, furti cauſſa eum intraſſe, atque adeo ſine dubio apprehendi poteſt. Vtque etiam fur nocturnus impune occidi poteſt, *l. 4. §. 1. π. ad Leg. Aquil. l. 9. π. ad L. Cornel. de ſicar. cap. Si perfodiens 3. X. de homicid.* uel nocturnus populator agrorum, *l. 1. C. quando liceat unicuique*, CARPZOV. *Pract. Crim. p. 1. qu. 32. n. 37.* DN. PARENS, *Elect. Iuriſprud. Crim. th. 15. pag. 55. ſeq. et Part. 1. Reſponſ. 282. itemque Oecon. iur. lib. 3. tit. 9. §. 5. not. 6. pag. 775.* ſic multo magis id licebit, ſi tales fures uel depopulatores laruati acceſſerint: eo magis enim timendi ſunt, quo minus, quinam ſint, cognoſci poteſt. Sic cum haud ita pridem, *Dreſenae, d. 25. Ian. An. 1723.* miles quidam, ſed e ſtipendiis dimiſſus, I. C. I. perſonatus, ludendo perdidiſſet duos imperiales, mox in locum, publice laruis deſtinatum, ſe contuliſſet, ibidemque, in taberna, ludis habendis exſtructa, iuniori S. tabaci pyxidem, argento conchiſque eleganter caelatam, ac pluribus, quam decem, imperialibus pretio aeſtimatam, furto ex marſupio abſtuliſſet, ſed in maleficio deprehenſus, ab ſe abieciſſet, ac precibus S. excubiarum cuſtodiae traditus eſſet, negotio deinceps in iudicio explorato, cogni-

cognitoque, quod, nec aduentum ſuum portarum excubiis denunciauerit, ſed finxerit poſtea, ſe uoluiſſe literas uiatorias, aſſertoriaſque, ex cancellis, bellicis rebus conſtitutis, quo tutus poſſit in Poloniam migrare, petere, confirmatoque iureiurando a teſtibus, ſe, iſtum pyxidem illam, in manibus ſuis tenentem, atque abiicientem, uidiſſe, in Iudicio Militari eius loci, quod das Gouuernement audit, pronunciatum, decretumque, atque ab illius Iudicii Gubernatore Excellentiſſimo, Domino S. R. I. Comite, DE WACKERBARTH, approbatum fuit, ut, theatro in foro exſtructo, paulo ante horam decimam, ſua, quam elegerat, perſona indutus, aperto tamen capite, tabelliſque, in quibus eius delictum et poena conſcripta erat, a pectore et tergo appenſis, imponeretur, cateniſque aſini lignei pedibus alligaretur, ſicque, ad horam uſque duodecimam, ingenti hominum multitudini ſpectaculo eſſe cogeretur, mox iuberetur a lictore militari deſcendere, atque, reuinctus catenis ad aſinum, duodecim uirgarum, ternis ſingularum uerberibus, ab iiſdem affligeretur in tergo, et caſtigaretur, mox propriis ueſtibus contectus, ab iiſdem per nigram portam ex Vrbe educeretur, ad eandemque redire, grauiſſima poena adiecta, prohiberetur, quae omnia, poſteaquam iſti promulgata ſunt, et, nec uindicaturum ſe unquam, neque in Vrbem remeaturum, iureiurando dato, promiſiſſet, executioni mandata ſunt. *d. 28. eiuſd. menſ.*

§. LXXXVI.

Laruati, turbam excitantes, seuere coercendi sunt.

Sub *tit.* π. *ui bon. raptorum* habetur etiam mandatum Praetoris de turba, quod ad eos applicari posse, nemo dubitabit, qui laruati turbam aliquam concitarunt, aduersus quos non tantum datur actio de turba illis, quibus damnum datum est, de qua in *l. 4.* π. *d. t.* agitur, uerum etiam pro re nata et circumstantiis extra ordinem seuere coercendi sunt, et eo magis quidem, quo occultatio sub larua maiorem malitiam et uoluntatem peccandi prodit.

§. LXXXVII.

Aduersus laruatos iniuria afficientes, datur actio ex L. Aquilia.

Quod si a laruatis damnum iniuria aliis datum sit, uel etiam laruae inquinatae uel scissae, culpa uel dolo aliorum, nemo dubitabit, quin eo nomine ex *L. Aquilia* agi possit, *l. 27. §. 18.* π. *ad L. Aquil.* STRYK. de *Iur. uest. cap. 6. num. 35. seqq.* Immo si laruatus fimo corrupto aliquem perfuderit, coeno, luto aliquem obliniuerit, aqua spurcauerit, grauiter in illum animaduertendum est, secundum *l. 1. §. 1.* π. *de extraord. crim.* IVL. PAVL. *lib. 5. sent. tit. 4. §. 13. pag. m. 203.* Qualem etiam animaduersionem exigit *Decretum Romanum*, §. 15. Si uero personati ab aliis haec patiantur, eadem locum habere, nullus ambigo, si modo, eo tempore ac loco, id factum, ubi personarum usus permissus. Quod si autem tum contigit, cum nullus talis usus est, uel interdictum factum, laruatum, si persona corrupta sit uel scissa, nec ex *L. Aquilia* agere posse, nec alteri poenam infligendam esse, existimarim; quoniam rei inu-

 sitatae

ſitatae et illicitae operam dedit, et ſic ferat damnum, quod ſua culpa ſenſit, et cui occaſionem praebuit, arg. *l. 4. §. hoc autem 4. π. de ui bon. raptor. l. 11. §. ult. l. 57. π. locat. Regula 86. tit. de R. I. in 6to.* Quo loco tamen non eſt excludendum iudicis arbitrium, quod hac de re ſtatuere debet, quod aequum eſt.

§. LXXXVIII.

Circa delictum, quod ſigillatim iniuriam uocamus, uaria moneri poſſunt, quae ad noſtrum argumentum ſpectant. Nam uti primum per ueſtimenta iniuria aliis inferri poteſt, *l. 15. §. 27. et l. 39. π. de iniur.* SCHNEIDEWIN. ad *§. 1. Iniuria I. de Iniur. n. 25.* BERLICH. *P. 5. Concluſ. 59. n. 101. ſeq.* ſi quis ueſte, ſibi non competente, in alterius contumeliam utatur, ut ſi ruſticus ueſte longa utatur in deriſionem Doctorum, uel meretrix ueſte certae alicuius matronae honeſtae, SCHNEIDEWIN. *d. l.* Ita etiam per laruas id fieri poteſt. Hinc, ſi tempore Bacchanaliorum eiuſmodi ueſtitum quis ſumat, quali uti non licet, ut ſupra dictum, e. c. clericorum, eremitarum, religioſorum etc. iniuriam huic ordini infert, et ideo iniuriarum conueniri poteſt. IOAN. FABER, ANGELVS et SCHNEIDEWIN. ad *d. §. 1. I. de Iniur.* Porro, ſi quis alterius perſonam induat, illiuſque ueſte, uel ſimili plane, utatur, et ipſius geſtus et inceſſum imitetur in contumeliam eius, ut aliis ludibrio exponatur, dubio procul iniuriarum tenetur, THOLOSAN. *Synt. Iur. uniuerſ. l. 39. c. 11. n. 12. in fin.* Amplius, ſi geſtus quis faciat, qui in contumeliam alterius tendant, de quibus ſupra actum, pariter iniuria-

Veſtium ſimilitudine aliis illudentes iniuriarum conueniuntur.

rum actio locum habebit, et multo magis tunc, si uerberibus afficiat, uel uulneret, uel conspurcet, uel proiiciat aliquid in alios. Finge, uirginis uel matronae pudicitiam appellari, uel tentari, uel illas istum adsectari, *l. 15. §. 22. π. de iniur. l. 9. §. ult. π. Eod.* Si comes abducatur, si uestimenta uel personae scindantur, *l. 9. pr. d. t.* Paucis, ubicunque aliquid fit, quod in alterius contumeliam, siue uerbis, siue factis, tendat, iniuriarum actio habebit locum, arg. *d. §. 1. I. de Iniur.* Immo et publica poena merito exigenda est, quales uariae *§. 6. 7. 9. 10.* in *Constit. Roman.* habentur.

§. LXXXIX.

Iniurians laruatos non auditur l. 15. §. 9. π. de iniur.

Quod si personato talis iniuria facta, non audiendus est iniurians, si maxime, *l. 15. §. 9. π. de Iniur.* adducat, quasi incertae personae iniuria illata sit, atque sic nulla executio. Nam licet ignota persona sit, cui iniuria facta, satis tamen certa est et fieri potest. Immo cum pro conditione hominis, qui iniuriam passus est, atrocitas iniuriae aestimetur, *§. 9. I. de iniur.* nullam excusationem praebebit iniurianti, si dicat, se nesciuisse, quisnam fuerit, quem laesit. Nam debebat scire, inter haec gaudia nobiliores et Principes saepe sub larua exili latitare, atque sic temperare ab omni facto iniurioso. Ceterum, si filius uel seruus alicuius, quod in Bacchanalibus saepe fit, ludibrio habitus, ueluti si in popinam ductus sit, pater et dominus iniuriarum agere potest, *l. 26. π. de iniuriis*, MANZIVS *Dec. Palat. Quaest. 50. n. 51.*

§. XC.

§. XC.

Si uero extra usum personarum quis iniuria affecerit eum, qui alieno uestitu incedit, sibi alioquin ignotum, si e. c. nobilis incedat uestitu rustico, clericus habitu laicali, uel honesta matrona uel uirgo habitu meretricio, uel si uasallus dominum, ita repertum, uerberet, BRVNNEMANN. ad *l. 15. π. de iniur. n. 9. in fin.* atrocitas iniuriae ex uestitu utique minuitur, talis enim quisque praesumitur, qualem uestitus indicat. *Cap. Si iudex 12. uers. Idem de sent. excommun. in 6to l. 15. §. 15. π. d. t.* MASCARD. de *Probat. Vol. 2. Conclus. 849. n. 2.* MENOCH. *lib. 6. Praes. 89. n. 5.* *Secus, si laruae extra publicum earum usum gerantur.*

§. XCI.

Praeterea, si eo tempore uel loco, ubi personis uti non licet, laruatus aliquis accedat, atque bene dedolatus recedere iubeatur, utique de iniuria non potest queri. Talis recensetur casus, qui in facto contigit, in *Differt.* B. STRYK. de *Iur. uestiar. c. 6. n. 30.* Scilicet quidam, non inuitati, mutatis uestibus, ita ut cognosci non potuerint, uespertino tempore aedes accedebant, ubi solemnia nuptialia celebrabantur. Interrogati a sponso, quinam essent? cum nomen edere nollent, uerberibus egregie excepti dimittebantur. Postea iniuriarum actione agebant contra sponsum, sed absoluendum esse huncce, respondit *Amplissim. Facult. Iurid. Acad. Viadr.* ob sequentes rationes. Primum uersabatur in re licita, inquirendo, quos hospites in aedibus nuptialibus haberet, intererat enim ipsius *Tempore uel loco personis utens, ubi non licet, ac dedolatus, non audiendus est.*

praecauere, ne a laruatis illis tumultus excitarentur. Deinde illi noui hoſpites uerſabantur in re illicita, non inuitati, nuptiis alienis ſemet ingerendo. Porro prohibitum inſuper lege Prouinciali erat, ne quis, ueſpertino tempore, ad alienas nuptias accederet. Praeterea ueſtitum mutauerant, et hinc cognoſci a ſponſo non poterant. Tandem reſpondere interrogati nolebant, et ita habitu et geſtu, mala intentione ſe acceſſiſſe, prodebant, et uerbera, quibus excepti, ſibi ipſis accepta ferre debebant: Iniuriam ergo, quam culpa ſua ſentiebant, pro iniuria reputare non poterant, et ne ſentire quidem intelligebantur, arg. *l. quod quis 203. π. de R. I.* Hoc notare bene debent illi, qui mori non laudabili inſeruiunt, magnoque cum impetu palliis inuoluti, uel mitris ac cucullis facie tecta, nouorum nuptorum et hoſpitum gaudia turbare ſolent. Neque illius rei obliuiſcendum eſt, quod, cum a Rege Noſtro Potentiſſimo ſpeciali mandato prohibitum eſſet, ne comoediae agerentur publice hic loci, et tamen a conſule regente empirico cuidam Brunouicenſi permiſſae eſſent, re, ab Academia ad Regem delata, nouis, iiſdemque ſeueris, Reſcriptis, cum Senatui, tum Praefecto, tales tolerare, interdictum eſt *d. 10. Mart. Ann. 1713.* et *d. 1. Februar. An. 1720.* in primis propterea, quod ſtudioſi a frequentandis collegiis auocarentur, multaque et uerba, et facta, obſcoena ac turpia a perſonatis iſtis cum audirentur, tum uiderentur. Praedicta Reſcripta ita data ſunt:

Von

Von Gottes Gnaden, FRIEDRICH AVGVSTVS, König in Pohlen etc. Hertzog zu Sachßen, Jülich, Cleve, Berg, Engern und Westphalen, etc. Churfürst, etc.

Liebe Getreue, Ihr ersehet aus dem Inschluße mit mehrern, was bey Vns Pro-Rector, Magistri, und Doctores Vnserer Vniversitaet zu Wittenberg, wegen derer Comoedien, so auf Vnsere Zulaßung, aufm Rath-Hause bey Euch, so wohl sehr offters, als auch lange Zeit nach einander, Tag vor Tag, bishero gespielet worden wären, allerunterthänigst vorgestellet, und darneben erinnert haben, wie wir nun ihr diesfals beschehenes Anführen von guter Erhebligkeit befinden, und dergleichen öffentliche Lust-Spiele, worbey insgemein doch vieles sündliches mit unterläuffet, auch die daraus entstehende, und sonsten vielerley, Excesse nicht wohl abzuwenden sind, noch denenselben allenthalben vorzukommen möglich ist, zumahl bey gegenwärtigen, weit aussehenden, und betrüblichen, Läuffien vielmehr gäntzlich abgeschaffet wissen wollen, und fernerhin zu verstatten nicht gemeynet sind; Alß ist hiermit Vnser Begehren, Ihr wollet hierzu, und daß hinführo dergleichen in der Stadt bey Euch nicht mehr gespielet werden dürffen, alle benöthigte ernste Verfügung thun, und wieder diese Vnsere wohlbedächtige Verordnung solcherley Comoedien in der Stadt bey Euch zuspielen, keines weges weiter gestatten. Daran geschicht unser ernster Will und Meynung. Datum Dreßden am 10den Mart. Anno 1713.

W. S. von Kötteritz.
Iohann Christoph Günther.

Vnseren lieben Getreuen dem Rath zu Wittenberg.

FRIED-

FRIEDRICH AVGVSTVS,
König in Pohlen, etc. Churfürst, etc.

RAth, lieber getreuer, Vns haben Vnsere zu Vntersuch- und Einrichtung des Cämmerey-Iustiz- und Policey-Wesens, bey Vnserer Stadt Wittenberg, verordnete Commissarii allerunterthänigst zu erkennen gegeben, was massen unter Vnsere, Euch anvertraueten Amts-Iurisdiction aldar, in dem Gasthofe zur güldenen Ganß, verwichenhin das Comoedien-Spielen öffentlich verstattet worden, und darbey ein grosser Zulauff vom Volcke gewesen wäre, worauf hiermit unser Begehren, Ihr wollet, damit dergleichen nicht ferner geschehen, noch zugelassen werden möge, alle benöthigte hinlängliche Verfügung thun, und darauf scharffe Auffsicht haben lassen. Daran geschicht unsere Meynung. Datum Dreßden am 1. Februarii Ann. 1720.

An
Commission-Rath und Creyß-
Amtmann zu Wittenberg,
D. Iohann Iacob von Ryßel.

Pari ratione cum studiosi quidam literarum ciues, G. E. G. et I. G. B. alter, rustici uestitu sumto, et facie atro colore infecta, alter, indusio candido amictus, intra et extra Vrbem incessissent *Ann. 1716.* quamuis nemini damnum uel iniuriam intulissent, utrique carcere, uel mulcta puniti sunt, ex pronunciato Scabinatus Vitembergensis, quod ita habet:

Vnser

Vnser freundlich Dienst zuvor,
Pro-Rector Magnifice,
Wohl-Ehrwürdige, Edle, Großachtbahre
und Hochgelahrte,
Günstige Herren und Freunde,

ALs Eur. Magnificenz, und die Herren, Vns die wieder. I. G. B. und G. E. G. ergangene Acta zugeschicket, und sich des Rechten darüber zu berichten gebethen;

Demnach sprechen Wir verordnete Doctores des Churfürstl. Sächsischen Hoffgerichts und Schöppenstuhls zu Wittenberg darauf vor Recht:

Daraus souiel zu befinden, daß ermeldter B. und G. ihrer begangenen und gestandenen Begünstigungen halber, willkührlich, und zwar jener vier Wochen lang mit Gefängnüs, oder um vier neue Schocke; Dieser aber vierzehen Tage lang mit Gefängnüs, oder um zwey neue Schocke zu bestraffen, so wohl die verursachte Vnkosten, davon die fol. 5. liquidirte, auf einen Thaler 22. gr. zu mässigen, zu gleichen Theilen zu entrichten verbunden. Von Rechts wegen. Vrkundlich mit des Hoffgerichts Insiegel besiegelt.

Verordnete Doctores des Churfürstl. Sächsischen Hoffgerichts und Schöppenstuhls zu Wittenberg.

An die Vniuersitaet daselbst
M. Augusto 1716.

§. XCII.

Simile iudicium de illis ferri debet, qui, in usu personarum licito, laruas prohibitas induunt. Qui non

In usu laruarum, personas prohibi-

bitas inducentes, atque affecti contumelia, non audiuntur.

non graue ferre debent, si iniuriam patiantur, meliusque faciunt, si taceant, quam ut se ipsos prodant, atque arguant delicti. Quod et de istis affirmandum, quibus usus personarum uel omnis, uel certo modo est interdictus. Id feminis contingit in *Decret. Rom.* §. *16.* aduersus quam legem si peccant, tanquam meretrices, tractari possunt, ita, ut iniuriarum actio nulla eis competat. Quamuis, si erga eas, ut et ipsas meretrices, gestus obscoeni fiant, qui aliis irritamento esse possunt, id minime impune sit, §. *10. d. Ord.* De ingressu in aedes alienas iam supra actum est, *c. 4. Sect. II.* §. *36.* quod hic repetere est superuacaneum. Plane, si quis per iocum quid faciat, u. g. alium percutiat, nec damnum inde sequatur, uel alias iocus innocuus esse possit, uel factum speciatim non prohibitum, inter iocantes pro iniuria haberi non debet, nec poenam meretur, *l. 3. §. 3. π. de iniur.* Profecto, inter iocantes qui uersatur, et ipse iocatur, non debet statim iniuriam dicere, quod a laetantibus factum, docente MENOCHIO. Est ergo prudentis iudicis aestimare, num species ioci sufficiat. Pertinet huc, quod MANZIVS tradit, *Dec. Palat. Quaest. 50. n. 52.* iniuriam non esse, si quis illos discursores fanaticos, *stultos* appellet, propterea, quod hoc nomen non tantum non reformidant, sed, tanquam si honorificum esset, illud etiam appetunt. Quemadmodum aliquando uidit MANZIVS, integram turbam equitantium praeconem praemisisse, qui identidem exclamaret: *Hi omnes, qui sequuntur, stulti sunt.* Quasi uero stultitia ipsos non satis prodidisset, nisi praeterea accessisset praeconium. Etiamsi uero

usus

usus personarum permissus sit, nec a personatis quisquam ullo modo laedatur, tamen, si eum admittant, et insuper hoc ipso contra officium peccent, merito puniuntur. Sic cum Dresenae, in nouissimis laetitiis, uulgo *Carnaual* dictis, praefectus quidam militum, infimi tamen ordinis, cum quatuor uulgaribus militibus, et nonnullis, carceri mancipatis, ab excubiis in locum se contulisset, ubi personati conuenire solent, illi quinque omnes, *d. 23. Mart. 1723.* per uirgarum inflictus, more militari, currere coacti sunt, praefectus uero iste ad aggeres munimenti exstruendos deductus est.

§. XCIII.

Praeter haec, delicta uaria ratione personarum fieri possunt, quae extra ordinem uindicantur, atque arbitrium, pro meritis admissi, merentur. Si laruatus fimo corrupto aliquem perfuderit, coeno, lutoue aliquem obliniuerit, aqua spurcauerit, grauiter in illum animaduertendum est, *l. 1. §. 1. π. de extr. crim.* Qualem animaduersionem *Decretum Romanum* etiam exigit, *§. 15.* prouti dictum est supra *c. 4. Sect. II. §. 87.* Meminit MANZIVS *Dec. Pal. Quaest. 50. n. 49. Dolae in Burgundia factum, ut iuuenis quidam, domum religiosam fanatico more transiens, religiosos, sub porta constitutos, fimo corrupto perfunderet, lutoque et coeno oblinirèt, illi autem obleuati occasionem captarent, eum, post aliquod tempus monasterium intrantem, et per angustum ambulacrum transeuntem, ex insidiis in cellam quandam abripiendi, et uirgis adeo caedendi, ut exinde irreconciliabile natum fuerit*

Varia personatorum delicta extra ordinem punita.

rit diſſidium. Si tentet pudicitiam, ac uirgines et matronas interpellet, quidue impudicitiae cauſſa faciat, uirgines matronaſque, ut res fert, impudice contrectet, oſtendat ea, quae pudor uelare iubet, etc. *d. l. 1. §. 2. π. de extr. crim.* HVBER. *Praelect. ad Tit. de adult. §. 11.* Quorſum etiam ſpectat, ſi quis cogat coetus perſonatorum eo tempore et loco, ubi tale quid fieri non licet, *l. 2. π. eod.* Quod ſi enim et alia conuenticula, quae citra publicam auctoritatem inſtituuntur, licita non ſunt, *t. t. π. de Colleg. et corp.* multo magis id prohibitum erit, ſi laruati hoc faciant, ſi mulierem puellamue interpellauerint, quidue impudicitiae gratia fecerint, donum praebuerint, etc. *dict. l. 1. §. 2. π. de extraord. crim.* Immo et ſinguli, quibus uel omnis perſonarum uſus, uel certo loco aut tempore prohibitus eſt, huc ſpectant, cum omnibus, qui contra leges publicas, hac de re latas, peccant, et inter illas mulieres ueſtitu uirili; uel mares muliebribus ueſtibus, dolo malo utentes, B. STRYK. de *Iur. ueſt. c. 6. n. 8.* Sicuti in circulatores, qui ſerpentes circumferunt et proponunt, ſi cui, ob eorum metum, damnum datum eſt, pro modo admiſſi actio datur, *l. ult. π. de extraord. crim.* ita etiam idem dicendum eſt de iſtis, qui per larruas et perſonas aliis incutiunt terrorem. THOM. de *Nox. animal. cap. 29. n. 12.* Tales poenae uero, uti dixi, plerumque ex arbitrio iudicis pendent, atque nonnullae ſatis rigidae, capitales etiam in *Decreto Romano* decernuntur, et alias, pro illis, quae, loci, hominis et temporis ratione habita, rem eam circumſtant, ex *l. 16. §. 1. π. de poen.* corporali quoque et capitali poe-

na

na uindicari poſſunt, HVB. *d. l.* CARPZOV. *Pract. Crim. Part. 3. quaeſt. 123. n. 16. 19. 29.* et DN. PARENS, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 10.* §. *1. pag. 805.* Ex quaſi delictis id huc referendum eſt, quod in *tit. π. de his, qui effud. uel deiec.* habetur. Namque actiones de deiecto atque effuſo, et perſonatis, et contra perſonatos, dari, quam maxime cum analogia iuris conuenit, modo id obſeruauerimus, ea et huc referenda eſſe, quae circa legem Aquiliam, et iniurias, ratione illorum notauimus, qui perſonati incedunt eo tempore, quo non licet: Prae ceteris autem cauendum omnibus, ne tempore et loco prohibito, eiuſmodi laruatorum coetus hoſpitio excipiant, uel in aedibus ſuis tolerent, niſi et ipſi et perſonati puniri grauiter uelint. Dedit iam pridem in Saxonia Diuus *IOANNES GEORGIVS II.* tale Mandatum, quod huius tenoris eſt:

Von Gottes Gnaden, IOHANN GEORG, Hertzog zu Sachßen, Iülich, Cleve und Berg, Engern und Weſtphalen, etc. Churfürſt, etc.

Liebe Getreue, Ob wir Wohl nicht zweiffeln, es werden einem ieden, der ſich anietzo allhier befindet, ſonderlich aber dieienigen, ſo Eurer Iuriſdiction unterworffen, die höchſtgefährlichen, betrübten und ſchweren Zeiten, da faſt aller Orten von Krieg und Kriegs-Geſchrey und andern Drangſalen und Beſchwerden iämmerliche Klagen gehöret werden, dahin antreiben, ein ſtilles eingezogenes Leben zu führen, und bey angehender Faſtnacht, das Vermummen, um-

Vmlauffen, und andere Vppigkeit, dergleichen man vor einigen Iahren, über die von Vns, Euch und dem Ministerio allhier beschehene Verwarnungen, ungescheuet bey Tag und Nacht verübet, und dadurch den Allerhöchsten zu allerhand Straffen verursacht, einzustellen, auch Vnsere und andere anwesenden, hochansehnlichen Chur- und Fürsten, Graffen, Herren und dann vieler vornehmer Fürstlicher und anderer Gesandten Gegenwarth, davon abhalten, und also schuldiger Respect erwiesen werden. Dieweil Wir aber die Beysorge tragen, es dürfften sich gleichwohl solche Leute finden, welche dasienige, so ietzt erwehnet, nicht betrachten und zu Hertzen fassen, noch sich eines oder das andere an Verübung allerhand Vppigkeit und ruchlosen Fastnachts - Leben hindern lassen möchten: Als begehren Wir hiermit, Ihr wollet alsbalden, damit sich Niemand zu entschuldigen habe, durch Anschlagung gewöhnlicher Patenten, denen Ihr diesen Vnsern Befehlich inseriren werdet, allen und ieglichen Eurer Iurisdiction unterworffenen mit allem Ernst auferlegen, bey Vermeydung Vnserer höchsten Vngnade und ernstlichen unnachlässigen Straffe, die bevorstehende Fastnacht über und sonsten alles Mummens, Verlarffen- und Herumlauffens, sich gäntzlich zu eussern und zu enthalten, ein stilles und eingezogenes Leben zu führen, und sich selbst für Schimpff und Schaden zu hüten; Auch dabey andeuten, da einer oder der andere darwieder thun und handeln würde, derselbe ohne Ansehung der Person zu gefänglicher Hafft soll gebracht, und Vns nahmhafft gemacht werden, worauff Wir gegen den Verbrecher mit unnachlässiger Straffe dergestalt verfahren lassen wollen, daß er darob, in der That Vnser ernstes Miß-

Mißfallen und hohe Vngnade fühlen und empfinden soll. Daran geschicht Vnsere Meynung. Datum Leipzig am 17. Februarii Anno 1631.

Iohann George, Churfürst etc.

Vnseren lieben Getreuen, dem
Rathe zu Leipzig.

Quod cum promulgatum, saepiusque inde repetitum esset, nec tamen eiusmodi deliciae intermitterentur Lipsiae, et tolerarentur, Potentissimus Rex Noster, *FRIDERICVS AVGVSTVS*, iterum seuero Rescripto interdixit, hospitemque et homines personatos, qui interfuerant illis, rebus cognitis, actisque ad Scabinatum Lipsiensem, et, ulteriori defensione solicita, ad Ordinem Iuridicum Lipsiensem, tandem uero ad ICtos Vitembergenses, missis, punirentur, ac denuo Edicto Senatus Lipsiensis laruarum usus interdiceretur. Regis Rescriptum ita habet:

Von Gottes Gnaden, FRIEDRICH AVGVSTVS, König in Pohlen etc. Hertzog zu Sachßen, Iülich, Cleve, Berg, Engern und Westphalen, etc. Churfürst, etc.

Liebe Getreue, Vns ist Eure, wegen einer, bey dem Cafe-Schencken, G. Z. bey Euch, unlängsthin gehaltenen Masquerade von unterschiedenen Personen, eingesendeter allerunterthänigster Bericht vom 7. Februarii ietzthin, gebührend vorgetragen worden; Worauff hiermit Vnser Begehren, Ihr wollet hierüber noch mehrere Erkundigung, soviel möglich,

lich, einziehen, wieder dieienigen, so darbey gewesen, und unter Euere Iurisdiction gehören, gebührend verfahren, und darauf in der Sache rechtlich erkennen lassen, übrigens aber die vorigen wieder die Mummerey und das öffentliche Spielen, ergangene Verordnungen wiederhohlen und erneuern, und, da dergleichen unzuläßliche Zusammenkünffte ferner gehalten werden sollten, die darbey sich befindende Personen wegnehmen, und in Verhafft bringen laßen, maassen Wir auch ein gleiches an Unsere Universität zu Leipzig, wegen derer Ihrigen, unterm heutigen dato anbefohlen, Mochtens Euch, nebst Remittirung derer Acten, nicht bergen, und geschicht daran Unsere Meynung. Datum Dreßden am 14. Februarii Anno 1719.

Unseren lieben Getreuen denen Stadt-
Gerichten zu Leipzig.

Senatus Lipsiensis Edictum sic concinnatum est:

OBwohl in vorigen Zeiten und noch vor wenigen Iahren, wegen der Masquen, des Verlarffens und andern ungewöhnlichen Habits, daß Niemand sich deßen gebrauchen, noch damit betreten laßen solle, nicht nur von der hohen Landes-Obrigkeit ernste Mandata ergangen, sondern auch auff Dero höchste Befehle von uns Bürgermeister und Rathe dieser Stadt unterschiedene Verfügungen geschehen, und man der festen Hoffnung gewesen, es würde solch Unwesen unterblieben seyn, und Niemand sich des schuldigen Gehorsams entbrochen haben; So hat doch vielmehr das Gegentheil sich erwiesen, und der Gebrauch der Masquen, des Verlarffens und anderen verbotenen Habits, so wohl auf denen öffentlichen

lichen Straſſen und Gaſſen der Stadt wiederum gar gemein werden, als auch in dergleichen Geſtallt Zuſammen-Künffte in priuat-Häuſern angeſtellet, und darbey geſpielet werden wollen, welch Vnternehmen Ihr. Königl. Maj. in Pohlen und Churfürſtl. Durchl. zu Sachſſen, *etc. Vnſer allergnädigſter Herr, als* Dieſelben *davon Bericht erhalten, mißfällig empfunden, und, daß die vorigen wieder dergleichen Vornehmen und das öffentliche Spielen ergangene Verordnungen wiederhohlet und erneuert, auch, daferne dergleichen unzuläßliche Zuſammenkünffte ferner gehalten werden ſollten, die darbey ſich befindende Perſonen weggenommen, in Verhafft gebracht, und rechtlich Erkäntnüß darüber eingehohlet werden ſollte, ſub dato den 14. dieſes Monats Februarii in hohen Gnaden anbefohlen; Demnach wird, Krafft höchſtgedachten allergnädigſten Befehls, iedermänniglich hierdurch ermahnet, ſich der Maſquen, des Verlarffens, Mummerey, und andern ungewöhnlichen Habits, es geſchehe auf öffentlichen Gaſſen, oder in Caffée- und andern Häuſern, ingleichen des öffentlichen Spielens, bey der hierunter geſetzten Straffe, gäntzlich zu enthalten, mit der ausdrücklichen Verwarnung, daß wiedrigenfalls alle dieienigen, ſo hierwieder handeln und in ſolchen ungebührlichen Vnternehmen angetroffen werden, weggenommen, zur Verhafft gebracht, und mit gebührender ernſter Straffe werden beleget werden; Darnach ſich männiglich zu achten. Vhrkundlich mit dem gewöhnlichen Stadt-Secret bedrücket. Signatum Leipzig d. 22. Februar. An. 1719.*

(L.S.)

Scabinatus Lipſienſis ſententiam ita concepit:

Vnſer freundlich Dienſt zuvorn,

Ehrenveſte, Hoch- und Wohlgelahrte, Hoch- und Wohlweiſe, Günſtige Herren und gute Freunde,

ALs dieſelben Vns die, wegen einer bey G. Z. gehaltenen Maſquerade, ergangene Acta, benebſt einer Frage, übergeben, und Sich des Rechten darüber zubelernen gebethen haben;

Demnach ſprechen Wir Churfürſtliche Sächßiſche Schöppen zu Leipzig darauff vor Recht:

Daß ietztgedachter Z., weil er in ſeinem Hauſe eine Aſſemblée derer Maſquen, dergleichen einem ſolchem priuato, zumahl bey dieſer Stadt, keinesweges zukommt, um ſchnöden Gewinſts willen, bey nächtlicher Weile zu halten vergönnet, dabey Gelegenheit zu vieler Vppigkeit und Aergernüß iungen Leuten beyderley Geſchlechts gegeben, auch dasienige, was vormahls, vermittelſt ernſtlicher Landsherrlichen gnädigſten Befehle, mit Androhung höchſter Vngnade, gefänglicher Hafft und anderer unnachläßiger Straffe, unterſaget, ſo viel an ihm, wieder auffgebracht werden wollen, vier Wochen lang mit Gefängnüß, ſowohl, weil er denen auff Königl. allergnädigſten Befehle, ſub dato 6. Octobr. 1711. und 17. Auguſt. 1716. ergangenen Verordnungen zu wieder, dabey öffentliche Spiele, ohne gehörigen Einhalt zuthun, oder es alſofort anzuzeigen, ingleichen denen Weibes-Perſonen und Maſquen Auffenthalt geſtattet, und alles weit über 9. Vhr in die Nacht hinein geduldet, hierüber annoch, mit Funffzig Thaler, I. A. S., G. C. R., C. S. und G. H., ieder umb 20. Thaler, C. H. aber ſechs Tage lang mit Gefängnüß, oder umb ein Neu Schock zubeſtraffen, oder, anſtatt ieden Tages Gefängnüßes, drey Tage lang

lang zu einer gewissen Arbeit, allerseits auch zu Abstattung derer verursachten Unkosten, nach vorgehender Liquidation und richterlicher Ermäßigung, anzuhalten; Hiernechst Herr A. Freyherr von B., über dasienige, so ihm beygemessen, summarisch zu vernehmen, und hierzu anderweit, sub poena confessi et conuicti, vorzuladen. In übrigen bleibet Ihnen, denen Senfftenträgern, verkleidete und Masquirte Personen aufzunehmen und zu tragen, und dergestallt zu dergleichen unzuläßlichen Beginnen beförderlich zu seyn, bey willkührlicher Straffe zu untersagen, unbenommen. Von Rechts wegen. Zu Uhrkund mit Unserm Insiegel versiegelt.

Churfürstliche Sächsische
Schöppen zu Leipzig.

An
Die Stadt-Gerichte zu Leipzig.
M. Martio 1719.

Sequitur Ordinis Iuridici Lipsiensis Sententia:

Unser freundlich Dienst zuvorn,
Ehrenveste, Hoch-und Wohlgelahrte, Hoch-und Wohlweise,
Günstige Herren und gute Freunde,

ALs dieselben Uns Königl. Pohln. und Churfürstl. Sächßl. allergnädigste Befehliche in originali, samt denen wieder G. Z., I. A. S, G. C. R., C. S. und G. H., ingleichen Herrn A. Freyherrn von B. ergangenen Acten, und was Z. auch S. und Consorten zu ihrer Defension in Schrifften übergeben, nebst einer Frage, zugeschicket, und Unsere Rechts-Belehrung darüber gebethen; Oo 2 *Dem-*

Demnach erachten Wir, nach fleißiger Verlesung und Erwegung, darauf in Rechten gegründet und zu erkennen seyn:

Daraus soviel zu befinden, daß G. Z., S., R., S. und H. in ihrer übergebenen Defension ichtwas, so ihnen zustatten kommen möchte, nicht ausgeführet, derowegen es bey dem fol. 57. befindlichen Vrthel zulassen; Hiernechst ist Herr A. Freyherr von B., wegen des ihm beygemessenen Verbrechens, nunmehro pro confesso et conuicto zuachten, und er diesfalls, gestallten Sachen nach, mit Sechzig Thaler in Straffe billig zunehmen, Er ist auch die Vnkosten, so viel er deren verursachet, abzustatten schuldig. Von Rechts wegen. Vhrkundlich mit Vnserm Insiegel versiegelt.

Ordinarius, Senior und andere Doctores, der Iuristen-Facultät, in der Vniuersität Leipzig.

An die Stadt-Gerichte zu Leipzig.
M. Iun. 1719.

Ordinis denique Iuridici Vitembergensis Sententia hoc modo a me concepta est:

Vnser freundlich Dienst zuvor,

Ehrenveste, Hoch-und Wohlgelahrte, Hoch-und Wohlweise, Günstige Herren und Freunde,

ALß dieselben Vns dasienige, was G. Z., ingleichen I. A. S., C. S., G. C. R. und G. H. zu ihrer Defension anderweit in Schrifften übergeben, samt denen wieder ihnen und Con-

Conſorten ergangenen Acten, benebſt einer Frage, zugeſchicket, und Vnſere Rechts-Belehrung darüber gebethen;

Demnach erachten, etc.

Daß obgedachter G. Z., desgleichen I. A. S. und Conſorten, auch in ihren fernerweit übergebenen Defenſion-Schrifften etwas, ſo ihnen zuſtatten kommen möchte, nicht ausgeführet, derowegen es bey dem fol. 57. ſeqq. befindl. Vrthel nochmahls billig verbleibet. etc. V. R. W. Vhrkundlich mit der Iuriſten-Facultät Inſiegel verſiegelt.

Dechand, Ordinarius, auch andere Doctores und Aſſeſſores, der Iuriſten-Facultaet, in der Vniuerſitaet Wittenberg.

An die Stadt-Gerichte zu Leipzig.

M. Auguſt. 1720.

Ac, cum etiam Dreſenae, *M. Febr. Anno 1722.* durantibus publicis perſonatorum ſolemnibus, in foro antiquo, et ſigillatim aedibus Hungerianis, eorundem conuentus nocturni obſeruarentur, Senatus Dreſdenſis ad centum et quinquaginta homines, mares partim, partim mulieres, aedibus militibus circumdatis, in ciuiles et militares carceres coniiciendos curauit, mox re ad Regem delata, hoſpes, Iulius Corpus, in quadraginta imperialium mulctam condemnatus eſt hoc Regio Reſcripto:

Von Gottes Gnaden, FRIEDRICH AVGVSTVS, König in Pohlen etc. Hertzog zu Sachßen, Iülich, Cleve, Berg, Engern und Weſtphalen, etc. Churfürſt, etc.

Liebe Getreue, Vns iſt Euer, wegen der in dem Hungeriſchen Hauſe am alten Marckte, gehaltenen ungebührl.

Zusammenkunfft, und derer diesfalß in Verhafft genommenen Personen halber, unterm 17. huius anhero erstattete allerunterthänigste Bericht, gebührend vorgetragen worden. Nachdem Euch nun, dergleichen Vnfug nicht zugestatten, sondern solchen, ohne Vnsere beschehene Anregung, in Zeiten zu verwehren, von selbst gebühret hätte:

Als begehren Wir, Ihr wollet fürohin hierunter bessere Obsicht tragen, und, so wohl auf dieses Hauß, als auch andere dergleichen, genaue Acht haben, und zu solchem Ende öffters visitiren; So viel aber die anietzo zum Arrest gebrachte Personen betrifft, selbige, mit nachdrücklichen Verweiß und Verwarnung, gegen Erstattung derer taxmässigen Vnkosten, wieder dimittiren, die frembden von der Stadt aber, Euern unmaßgeblichen Vorschlage nach, wegweisen, so wohl den Wirth, Iulius Corpus, in 40. Thlr. Straffe nehmen, auch die hiesigen Manns-Personen, ieden gleichergestalt um ein Neu Schock bestraffen, und solche Straffe von ihnen allerseits einbringen, wie Ihr denn auch, ob derer frembden Wirthe diese Personen behöriger massen angezeiget? Erkundigung einzuziehen, und wiedrigenfalls wieder sie, nach Befinden, zu verfahren habt. Mochtens Euch, nebst Remittirung derer Acten, und was Iohann Tonnenbinder darneben eingegeben, nicht bergen, und geschicht daran Vnsere Meynung. Datum Dreßden am 20. Febr. Ann. 1722.

G. G. Ritter.

Vnseren lieben Getreuen dem Rath zu Dreßden.

Iohann Daniel Höpner. S.

Deinde

Deinde, precibus ſupplicibus datis, mulcta ad uiginti uſque imperiales temperata eſt, mandato huius tenoris promulgato:

Von Gottes Gnaden, FRIEDRICH AVGVSTVS, König in Pohlen etc. Hertzog zu Sachſſen, Jülich, Cleve, Berg, Engern und Weſtphalen, etc. Churfürſt, etc.

Liebe Getreue, Wir haben auff innliegendes Iulii Corpus und ſeines Eheweibes, Iohannen Dorotheen, beſchehenes Vorſtellen und Bitten, die dem erſtern, verſtatteter ungebührlichen Zuſammenkunfft halber, dictirte 40. Thlr. biß auff die Helffte erlaſſen, mit Begehren, Ihr wollet ſolche von ihme einbringen, da er aber ſolche zu bezahlen nicht vermögend wäre, ſelbigen ſolche durch Gefängnüs verbüſſen laſſen. Daran geſchicht Unſere Meynung. Datum Dreßden am 27. Febr. Ann. 1722.

G. G. Ritter.

Vnſeren lieben Getreuen dem Rath zu Dreßden. *Iohann Daniel Höpner. S.*

Tandem, cum, repetitis literis ſupplicibus, poſtularetur, ut prorſus remitteretur mulcta, conſtantiam ſuam comprobauit Potentiſſimus Rex, Reſcripto emiſſo tali:

Von Gottes Gnaden, FRIEDRICH AVGVSTVS, König in Pohlen etc. Hertzog zu Sachſſen, Jülich, Cleve, Berg, Engern und Weſtphalen, etc. Churfürſt, etc.

Liebe Getreue, Wir laſſen es, auff innliegendes Iulii Corpuſſens, anhero beſchehenes Suppliciren, daß die von Vns

Vns bereits biß auff die Helffte herunter gesetzte Straffe, wo nicht gar remittiret, doch noch weiter moderiret werden möchte, bey Vnserer Euch nur iüngsthin diesfalß ertheilten Verordnung schlechterdings bewenden, begehrende, Ihr wollet ihn dessen bedeuten, auch alle weitere Behelligung untersagen. Daran geschicht Vnsere Meynung. Datum Dreßden am 6. Mart. Ann. 1722.

G. G. Ritter.

Vnseren lieben Getreuen dem Rath zu Dreßden. *Iohann Daniel Höpner. S.*

CAP. IV.
SECT. III.
DE IVRE ACTIONVM.

§. I.

Nec actor, nec reus, nec iudex, in iudicio laruati sunto.

ATque sic tandem ad tertium iuris caput deuoluti sumus, scilicet Actiones. Titulus hic Institutionum amplissimus est, et per totum fere ius sese diffundit. Pauca uero nobis, uel plane nihil, suggerere potest, quae instituto praesenti inseruiant, nec antea a nobis sint dicta. Vidimus enim, quid iustum sit circa personas et res, ratione laruarum, atque adeo facile colligere possumus, si quid hac parte ex quocunque iure debeatur, illud ipsum conueniente actione nos persequi posse, eo modo, quo alias id fieri solet.

let. Perſonati autem homines, ut iudicia exerceant, ac, ut perſonati, iudicia accedant, ſanctitatem illorum non pati, ſaepius diximus. Atque ſic coram hiſce, qui laruati ſunt, uel a laruatis, cauſſae ſerio agi non poſſunt, omniaque nulla ſunt, niſi neceſſitas exigat, et periculum in mora, ut in continenti, ſtanteue pede, cauſſae cognitio ſuſcipienda et dicenda ſententia. Immo parum etiam conuenit, per iocum et ludibria repraeſentare, laedereque reuerentiam, magiſtratui quae debetur, qui ſedulo curare debet, ne contemtio dignitatis naſcatur, *l. 19. π. de off. praeſ.*

§. II.

Laruae debitori eripi poſſunt.

Quod ſi tamen forte ille, qui inhabilis eſt ad iudicis munus, ſe pro habili gerat ueſtitu, aliiſque rebus, et ab omnibus pro tali habeatur, ipſique magiſtratus uel iudicis demandetur munus, ea, quae coram ipſo geſta et acta, reprobari non debent, arg. *l. 3. de offic. Praet.* ubi *Dd.* DIONYS. GOTHOFRED. ad *d. l.* Extremum iuriſdictionis uulgo executio dicitur, qua demum quis id conſequitur, quod ſibi debetur. Haec omnia debitoris bona ipſi eripit, ſi tantum debeat, adeo, ut uſque ad ſaccum et peram excuti poſſit, ſecundum ACCVRSIVM in *Gloſſ.* ad *l. 7. C. quae res pign. oblig. poſſ.* Dedit hoc occaſionem Doctoribus de ueſtibus diſputandi, et ANTONIO MONACHO, *ICto Taurinenſi*, peculiarem conſcribendi *Tractatum de Executione in ueſtibus.* Quorum ſumma optime exponitur in *Diſſ. ſaepius laudata* B. STRYKII de *Iur. ueſtiar. cap. 7.* quae repetere non uacat. Id modo circa perſonas obſer-

uo, illas, quicquid de aliis uestibus sit, optimo iure auferri posse debitori, quoniam illis facile carere potest. Quod adeo uerum esse puto, ut nec illos debitores excipiam, qui citra suam culpam non soluendo facti, quibus et splendidae ac festiuae uestes eripi queunt, MONACHVS *d. Tr. c. 3. n. 7.* et qui tantum in id, quod facere possunt, condemnantur. Nam, etsi his necessaria alimenta, pro conditione personae, relinquenda sunt, *l. 173. π. de R I. l. 30. π. de re iud.* et sub alimentis etiam uestimenta comprehenduntur, *l. 43. π. de V. S.* ad necessaria tamen hoc tantum pertinet, quibus non possunt carere, atque de his id intelligendum est, uid. BERLICH. *P. 1. Conclus. 80. n. 50.* non de luxuriosis, et quibus non opus est, quales utique personae hae sunt, siue maritus ipse, siue uxor, illis uti soleat. Neque enim eiusmodi debitoribus, ut luxurient, ac rebus operam nauent non necessariis, indulgendum est. Conf. LAVTERBACH. de *Beneficio competentiae Th. 6.* Et, quamuis alias generatim circa uestes regula tradatur a Doctoribus: Nisi in subsidium, h. e. omnibus aliis bonis deficientibus, ad executionem deueniendum non esse, MENOCH. *Remed. 3. adipisc. possess. n. 140.* quoniam, ut dictum, alimentorum nomine ueniunt, SVRDVS de *Alim. tit. 4. qu. 2.* non tamen existimo, istam regulam ad haec uestimenta pertinere non necessaria, ut dixi, sine quibus uita optime conseruari potest: nisi forte casum fingas, ubi ex laruis et personis uictum licite quotidianum quis quaerit, ubi in subsidium demum fieri in has res executionem, non abnuerim, arg. *l. 15. §. 2. π. de re indic. l. 7. 8. C. quae res pignor.*

§. III.

§. III.

Quae in *Titulis l. π. et C. quod cum eo, qui in aliena potestate est*, habentur, facile applicari possunt ad institutum, ita scilicet, si quis filiofam. pecuniam dedit, ut personas sibi compararet, non potest dici, illam pecuniam in rem patris esse uersam, quoniam, uoluptatis tantum caussa, impensa est, et sic actio de in rem uerso cessat, *l. 3. §. 4. π. de in rem uerso, l. 7. §. 3. π. eod.* Dn. Parens, *Oecon. Iur. lib. 3. tit. 14. §. 2. not. 18. pag. 867.* nisi forte patris uoluntate id factum, uel mascheras patri filius misit, atque ipse ea usus est, *l. 3. §. 3. et 6. π. d. tit.* Vid. Hopp. ad *§. 4. I. quod cum eo etc.*

Pecunia, in laruas impensa, non est in rem uersa.

§. IV.

Si seruus delictum committat, occasione mascherarum, noxalis actio aduersus dominum datur, *tit. I. π. et C. de nox. act.* At cum hodie tales seruos non habeamus, sed famulos mercede conductos, liberos homines alioquin, actio illa noxalis apud nos cessat. Quodsi tamen dominus fortasse tempore Bacchanaliorum, uel alio, uelit, ut laruati ministerium praebeant, uel alio modo quid faciant circa laruas, in officio, sibi commisso, et delinquant, ex facto hoc famuli dominus, ut olim, et hodie, tenetur, arg. *l. 1. et l. 3. π. de publ. in rem act.* Hopp. ad *§. 5. I. de nox. act.* ubi ratio. Etiamsi quoque iure Saxonico ad mercedem tantum debitam teneri dominum, tali casu uelit Carpzov. *Part. 4. C. 17. D. 14. et P. 4. C. 43. D. 7.* textus tamen, quos adducit, id, quod uult, non euincunt. Confer. omnino B. Hornivs,

Seruo circa laruas delictum committente, noxalis actio aduersus dominum datur.

Claſſ. XV. Reſp. 97. 98. et 99. fol. 1189. ſeqq. itemque Dn. Parens, *Oeconom. Iur. lib. 3. tit. 14. §. 3. not. 3. pag. 868. ſeq.* Si uero famuli iſti uel etiam filiifamilias, ratione quorum noxae deditio, et iamdiu ante Iustinianum, ceſſauit, *§. 7. I. de nox. act.* iuſſu dominorum uel patris tale quid faciant, domini et pater obligantur quidem; obligantur tamen et illi, qui factum commiſere, quamuis, ubi de poena publica quaeſtio eſt, illi, qui mandato alterius obtemperare debent, cum excuſatius peccent, quodammodo excuſentur, in delictis praeſertim non adeo grauibus, *l. 37. π. ad L. Aquil. l. 20. π. de O. et A.* ubi *Dd.* Compara in primis Brunnemann. ad *d. l. 37. π. ad l. Aquil. num. 1. ſeqq.* Si laruati efficiant, ut quadrupes concitetur, et damnum det, actio de pauperie ceſſat, ſed ex *L. Aquilia* poteſt agi, *l. 14. §. ult. π.* de *praeſcript. uerb. l. ult. C. de L. Aquil.*

§. V.

Materia interdictorum ad laruas applicata.

Ex materia interdictorum in partes uocari poteſt interdictum, ne quid in loco ſacro fiat, ſi ſcilicet forte quis in loco ſacro aliquid faciat in uſum maſcherarum, quas a tali loco abeſſe debere, ſupra diximus. Interdictum de liberis exhibendis applicari tunc poteſt, ſi quis alterius liberos, inuito patre, detineret, ut choreis et ſaltationibus laruatorum interſint: Vbi e contrario aduerſus matrem edictum hocce non datur, ſi haec detineat liberos, ideo, quod pater luxurioſe uiuit, atque, quotidie laruatorum coetibus eos intereſſe, iubet, arg. *l. 1. §. 3. π. de liber. exhibend. et l. 3. §. 5. π. eod.* Sed tunc locus eſſe poteſt utili actioni, ſi aduerſus

uersus detinentem uxorem, illam ob caussam instituatur, *l. 2. d.t.* Illi, quibus in persona ius hypothecae uel pignoris competit, Saluiano interdicto uti possunt. Qui in possessione laruae turbantur, interdicto, utrubi; si in possessione aedium, ad hanc rem destinatarum, uel quasi possessione seruitutis eiusmodi, de quibus supra dictum, interdicto, uti possidetis; uel si plane deiecti, unde ui; experiuntur. Vt alia taceam, quae, ex hac iuris parte, huc applicari possunt. Hisce interdictis affinia sunt mandata prohibitoria, quae usum mascherarum, uel plane prohibent, uel certis limitibus includunt, item censurae Ecclesiasticae, quae illis imminent, qui hac parte peccant, de quibus omnibus in antecedentibus larga mentio est facta. Quo loco illud addendum esse reor, tempore belli, inter publicos motus, rem istam eo magis esse prohibendam, quo maiora pericula exinde nasci queant. Quod et PACICHELLIVS de *Laru. c. 6. pag. 79.* et inter studiosos fieri uult, *ut plurimum*, quae uerba illius sunt, *decretis magistratuum parum parentes.*

§. VI.

Superest, ut de delictis, quae iudiciis publicis uindicantur, paucis adhuc simus soliciti. Primum est, quod IVSTINIANVS nobis sistit in *§. 3. I. de Publ. Iud.* crimen laesae Maiestatis s. perduellionis. Circa quod in mentem uenit, Reges ac Principes inter haec gaudia saepissime cum ministris uel subditis armis congredi in hastiludiis et similibus certaminibus, quae res tamen saepenumero malecessit, atque exitiosa Principibus fuit. Expertus illud est uitae suae damno HENRICVS II. Rex Galliae, qui a Comite

Principes laruati, cum ministris armis congredientes et laesi, non habent actionem laesae Maiestatis.

mite *Mongomerio*, quem, ut una ſecum decurreret, inuitum, maximeque renuentem, iuſſerat, tradita illi in manus lancea, uulneratus fuit, fractae lanceae fruſtulo, per caſſidem in oculum dextrum eo impetu ingreſſo, ut omnino bregma uiolaretur. Sane tali caſu criminis laeſae Maieſtatis reus, qui ita infelix fuit, dici non poteſt, quoniam dolo caruit, ſine quo hoc delictum non committitur, THVANVS, *Lib. XXII. Tom. I. Hiſtoriar.* Sed tamen *Mongomerius* poſt quinque et decem annos in Neuſtria captus, et Lutetiam deductus, ſecuri percuſſus fuit, nullo alio crimine nocens, quam quod caſu et imprudens Principi ſuo perniciem attulerit. Quod fortaſſe ſupplicium, magis ob odium Reformatae religionis, quam amplexus poſt caſum illum eſt, tulit, quam quod id promeruerit. IDEM *Lib. LVIII. Tom. 3. Hiſtor.* Plane, ſi ulla culpa in ipſo ludo admiſſa fuit, neutiquam probanda eſt, nec impunis eſſe debet, arg. *l. 3. §. 3. π. de iniur.* ibi: *aut dum certat.* At quia dominus in iſtum adduxit ipſe ſtatum, quo culpa talis facile admitti potuit, excuſatius ſeſe habet, atque adeo mitius, quam ultimo ſupplicio, puniri meretur.

§. VII.

Principi in his gaudiis de ſecuritate cauendum eſt.

Ceterum, cum Principibus a laruatis maximum periculum imminere poſſit, quale quid COMMODO Imperatori contigit, quem a *Materno* laruato petitum eſſe, HERODIAN. *L. 1. pag. m. 15. ſeq.* ſcribit: utique omnis cautio adhibenda eſt, ut Principis perſona ſalua ſit. Nemo etiam negabit, eum, qui in Principis aula laruatus deprehenditur, eo tempore, quo non licet, ualde

de ſuſpectum eſſe, atque adeo ſtatim apprehendi poſſe, ut, cuius conditionis, et quale propoſitum eius ſit, ſtudioſe exploretur.

§. VIII.

Sequitur adulterium. Si ulli delicto laruae occaſionem praebent, certe adulterium id eſt, cum omnibus aliis, quae carnis ſolemus appellare, ac ad hominum uariam libidinem explendam faciunt. Qui mulierum et uirginum pudicitiae inſidiantur, qui ſermone pudicitiam attentant, qui affectantur matronas et uirgines, qui alienas nuptias ſolicitant, et uiolant, uirgineſque corrumpunt, atque omni ſpurcitiei dant operam, nullam meliorem uiam inuenire poſſunt, quam hanc, ut turpia ſua expleant deſideria. Pariter feminae, quibus furtiuus amor placet, ſub maſcheris hiſce inueniunt, unde pudorem pallient, et ſub quo illuc uenire poſſint, quo alias non eſt datum, uel illos admittere, quibus alias aditus ad ipſas non patet. Hinc tot tantaque ſtupra, adulteria promiſcua ſaepe inter bacchantes hoſce fieri ſolent, quae fortaſſe non facta eſſent, niſi bella haec occaſio anſam dediſſet. Scilicet: *Perſonae libidini explendae inſeruiunt.*

Cuncta ſub ignotis laſciuia ueſtibus audet,

ut ait MANTVANVS. Variis haec dare poſſunt anſam quaeſtionibus, quarum quaſdam in medium producemus.

§. IX.

In facto contigiſſe relatum eſt, uxorem ſartoris cuiuſ- *Vxor laruata in mari-*

tum inſcia incidens, et rem habens, rea adulterii eſt.

cuiuſdam ſolicitaſſe maritum diu, ut liceret ſemel tantum laruatis intereſſe. Annuit tandem maritus, ſed, qua maſchera uxor, noctu ad locum conſuetum abiens, induta ſit, ſtudioſe obſeruat. Nec mora, mox ipſe ſequitur uxorem, habitu fictitio, ignoto tamen mulieri, ipſamque aſſectatur, et tandem appellat, facillimamque etiam deprehendit, tandemque, re confecta, abductoque digito uxoris annulo, ſtatim ſe domum recipit, expertus, qualem habeat uxorem. Vxor et ipſa paulo poſt redit, atque per annulum conuicta, egregie uapulat. Equidem tali caſu adulterium re ipſa ab utriſque (*materialiter*) commiſſum non eſt, dum nempe thorus alienus non uiolatus, nec uxor cum alio, quam cum marito, corpus commiſcuit. Sed quia tamen uxor eo animo fuit, ut cum alio quocunque, quam marito, congredi uoluerit, et ignorauit, congredientem maritum eſſe, nullum dubium eſt, quin ab eius parte (*formaliter*) adulterium fuerit perpetratum. Atque ut coram Deo et in foro conſcientiae procul dubio rea eſt adulterii, arg. *Matth. V. u. 28.* ita etiam in foro exteriori non omnem euitabit poenam, etſi ordinaria ceſſet, quoniam ut illi locus ſit, neceſſe eſt, et, ut cum Philoſophis loquar, materiale et formale adulterii ſimul adeſſe.

§. X.

Vbi ſciens etiam et decipiens peccat.

Idem plane iudicium ferendum eſt de eo caſu, ſi maritus conditionem quaerat, et in propriam incidat uxorem, quae ſciens maritum admittit. In utroque tamen diſquiri poſſet, numne ſciens decipienſque

ensque alterum etiam peccet? Sane non negauerim, in foro conscientiae peccare scientem partem, dum nempe, data opera, alterum ad peccandum inducit, uel si non inducit, saltem non impedit peccatum, a coniuge committendum, quod tamen fieri potuisset, debuisset etiam propter Christianam charitatem et fidem coniugalem. Sed in foro exteriori non dicerem, poena ideo alterum, qui gnarus fuit, afficiendum esse.

§. XI.

Porro, si uterque conditionis alterius ignarus, atque sic forte fortuna in se inuicem incidant, non coniuges se, sed extraneos existimantes, iterum necessariae personae desunt adulterii, res ipsa tamen utique non deficit, dum nimirum utrique animus fuit et opinio adulterium perpetrandi. Atque sic utraque pars rea erit coram Deo adulterii, et poena in foro exteriori digna, licet et hic ordinaria ob deficientes personas cessare debeat. Vid. ABELE in *Metamorph. Telae Iudiciariae p. 2. cas. 19.* BVRGHABER. *Cent. 1. Cas. Consc. Cas. 70. pag. m. 216.*

Vtrique coniugum ignari, sub laruis in se incidentes, adulterii rei sunt.

§. XII.

Fac etiam, incidere quem in laruatam feminam, quae maritata est, uel eiusmodi, cum qua incestus committi potest, e. c. soror, et quaeri: Num adulterii et incestus reus dici possit? Vt paucis aperiam meam sententiam, interesse puto, num existimauerit illam feminam esse solutam, et noluerit, nisi cum soluta corpus miscere. item: An crediderit, feminam illam, quae se obtulit, non

Quid si quis in maritatam uel sororem incidat?

esse talem, noluisseque cum tali libidinem explere: Aut parum de hac re cogitauerit, nihilque ipsius interfuerit, quaecunque tandem mulier subiiciatur, si modo pruritum exequi liceat? Priori casu nec adulterium, nec incestus commissus erit, atque adeo poena horum delictorum cessabit, *l. 53. π. de furt. l. pen. π. ad L. Iul. de adult.* cum animus et propositum ea delicta committendi, quod eadem distinguit, defuerit, atque ignorantia adeo hac parte prosit, licet alioquin stupri uel fornicationis reus sit, quae tamen, cum in animo lateat, per iuramentum confirmari, uel, pro re nata, per tormenta obtineri debet, CARPZOV. *Pr. Crim. P. 2. qu. 61. n. 42.* Qua ratione excusari potest ab incestu Iudas, qui cum Thamare, nuru, meretricis publicae personam quae induerat, quem non nouisse sacer Codex dicit, quod nurus sua esset, congressus est, quamuis peccati fornicationis sine omni dubio reus factus, GESNER. et CALOV. ad *Cap. XXXVIII. Genes. pag. 677. et pag. 1234.* Qualis decisio et tunc locum habebit, si maritus cum alterius uxore, quam tamen pro soluta habuit, adulterium commiserit, atque apud nos, in Iure Saxonico, an remissioni locus sit? quaestio oriatur, CARPZOV. *d. l. n. 48. et 49.* Altero uero casu non arbitror, ignorantiam prodesse. Nam dum animus adfuit congrediendi cum femina, quaecunque illa sit, quae obuiam ueniat, propositum etiam habuit cum coniugata et cum cognata commiscere corpus. Quodsi itaque animus adfuit adulterium et incestum committendi, si occasio ferat, et postea cum tali femina coitum, in quam haec delicta committi possint, omnia requisita adsunt a-

dulterii

dulterii et inceſtus, adeoque nec in exteriori foro a poena ordinaria immunis erit. Idem iudicium et ratione feminarum ferendum eſt, quod de maſculo latum, ſi, illam ita peccare, contigerit.

§. XIII.

Laruatus, ſub ſpecie mariti cum honeſta matrona rem habens, ſeuere puniendus.

Si laruatus quis in matronae cubile ſeſe furtim recipiat, atque ſub ſpecie et perſona mariti, cum ignorante doli matrona congrediatur, nullum dubium, illum adulterium committere, et eo magis peccare, quod tanto dolo honeſtam mulierem deceperit, atque ſic dignus eſt, quem ſummus poenae rigor perſequatur. Matrona uero ipſa omnis reatus expers eſt et poenae. Nam, licet corporis uſus alii, quam marito, praebitus ſit, ipſa tamen ignorante et inuita, id factum eſt, et minimum conſentiente. Atque ideo nec maritus ad diuortium ex hac cauſſa agere poteſt, GERHARD. *Loc. Theolog. Tom. VII. Cap. 28. de Coniug.* §. *621. pag. 1044.* Idem dicendum eo de caſu, ubi alterius uxor uel femina ſoluta marito, uxoris eius ſpeciem ſub perſona prae ſe ferens, ſubiecerit: Vel ſi femina coniuncta, ſub extraneae ſpecie, corpus proſtituat uiro, cum quo inceſtus committi poteſt. Quod fecit Thamar, quae ita ſub maſchera latitans, libidinoſum et incontinentem ſocerum decepit, quae, licet iniuria affecta a Iuda et filiis eius, proliſque cupida, conſilium hoc arripuit, minime tamen facti approbationem merebitur, cum non ſint facienda mala, ut inde eueniant bona, ad *Rom. III. u. 8.* atque ſic pari paſſu ambulat factum Lothi filiarum, ignorante cum patre

committentium inceſtum, GESNER. et CALOV. ad *Cap. XXXVIII. Geneſ.*

§. XIV.

Inceſtus, inter Chriſti abauos commiſſus, contumelioſis uerbis non eſt perſtringendus.

Etſi uero adeo negandum non ſit, inter Chriſti abauos reperiri, qui inceſtu ſe contaminarint, atque ex illicito congreſſu duxerint ortum; non tamen ideo contumelioſis uerbis res iſta perſtringenda eſt, ſed potius ineffabilis Dei bonitas admiranda, quae id, quod mali impulſu genii commiſſum, ſcelus nihilominus ad eum finem, conſilio et uoluntate ſua conſequente, ita direxit, ut inde Pharez, Chriſti abauus, ſecundum carnem, prodierit. Quod maximo illis ſolatio eſſe poteſt, qui in eiuſmodi peccata grauiſſima prolapſi, ueram deinceps poenitentiam agunt. Qua de re pluribus et accuratius ad *dictum Cap. XXXVIII. Geneſ.* Theologi commentantur. Tandem beneuolo lectori non diſplicebit, ſi inſeramus ea, quae Ordini Iuridico Vitembergenſi, *M. Iul.* et *Auguſt. MDCCII.* uiſa ſunt, cum offerretur caſus, ubi leuis homo in caupona inter alia ſcurrilia hac de re etiam uerba, bonos animos offendentia ac irritantia, Chriſtianoque indigna, effuderat:

Auff angebrachte Rüge, gehaltene gerichtliche Regiſtraturen, C. G. darauf gethane gütliche Antwort, unterſchiedener Zeugen eydliche Außage, und dasienige, was ermelter G. zu ſeiner Defenſion in Schrifften übergeben, Erkennet das Amt H. nach gehabtem Rath derer Rechts-Gelehrten, vor Recht:

Daß vor allen Dingen Nachricht, ob bey denen Verhören die

die Gerichts-Personen, oder Schöppen zugegen gewesen, zu denen Acten zu bringen, auch, da solches geschehen, die Registraturen von besagten Gerichts-Personen zu unterschreiben, im Fall aber diese bey denen Verhören sich nicht befunden, in Beyseyn derselben, so wohl Inquisit, als die eydlich abgehörte Zeugen über die Articul anderweit, und zwar die lezteren eydlich zu vernehmen, nicht weniger in beyden Fällen Inquisit über dasjenige, so er fol. 40. gestanden haben soll, ingleichen Test. 9. 10. 11. 12. nebenst August K. über die Umstände: Ob Inquisit eigentlich die Worte: Christus *sey aus einem Huren-Geschlechte, oder diese:* Christus *habe in seinem Geschlechte Huren, geredet? Ob auf dergleichen Reden David K. in Schönens Kruge Inquisiten auf die ad Art. 32. und fol. 40. angegebene Weise gefraget: Ob der Herr* Christus *etc. etc.? Was Inquisit eigentlich hierauf geantwortet? Ob, und auf was Weise Inquisit aus seinem, wegen des Herrn* Christi *Geschlechtes, beschehenen Vorgeben, den ihme beygemessenen lästerlichen Schluß, daß der Herr* Christus *ein etc. etc. gemachet? Was sonst vor Reden hierbey vorgefallen? und zwar besagte Zeugen eydlichen zu befragen, worauf, nach beschehener Confrontation, und wenn Inquisit mit seiner Defension nochmahln gehöret, seiner Bestraffung halber, oder sonst in der Sache ferner ergehet, was Recht ist. V. R. W.*

Rationes Decidendi.

Dieweil in denen gantzen Acten nicht zu befinden, daß das Iudicium richtig bestellet gewesen, dergleichen doch in Peinlichen Sachen Käyser Carl des Fünfften Peinl. Halß-

Gerichts-Ordnung, und der übliche Gerichts-Brauch erfordert; Hiernächst die Registratur fol. 40., darinnen die confessiones Rei enthalten, bloß von dem Ambtmann unterschrieben, und selbiger, allem Ansehen nach, weil ein sonderlicher Iustitiarius bey dem Ambt ist, zu denen Acten nicht geschworen hat, in dergleichen wichtigen Leib und Leben betreffenden Sachen aber auf eines einigen Menschen fidem es ankommen zu lassen, die Rechte nicht verstatten; Im übrigen man einige Umstände, ehe man ein vollkommen Iudicium fassen kan, untersuchen zu lassen nöthig erachtet, indem Inquisit vorgiebt, das K. die letztern lästerliche Worte ihm durch seine Frage ausgelocket, und es das Ansehen gewinnen will, als ob besagter Inquisit auf eine zu der sonst wahrhafften und der Heil. Schrifft gemessenen, aber nicht eben auf die Bierbäncke gehörigen Sache, daß durch Gottes Heil. Direction in der Genealogie Unsers Herrn und Heylandes Iesu Christi, *auch solche Personen, so mit Hurerey, Ehebruch und Blutschande sich beflecket, oder aus dergleichen Beywohnung gezeuget sind, zu finden, und Selbiger von ihnen mediate nach dem Fleische herstamme, die ihme beygemessene Reden gegründet, und aus denen einen solchen Schluß gemachet; Hierunter aber, und wenn dergleichen Reden absolute und schlechterdings ausgestossen worden, ein mercklicher Unterschied sich ereignet; So hat man vor allen Dingen, und da ein Iudex pro defensione zu laboriren pflichtig, nach Inhalt des Urtheils, zu erkennen nöthig erachtet.* Item:

Auff angebrachte Rüge, gehaltene gerichtliche Registraturen, daraus verfaste Inquisitional-Articul, C. G. darauff gethane Antwort, unterschiedener Zeugen eydliche Außage, besche-

beschehene Confrontation, und dasienige, was ermeldter G. zu seiner Defension in Schrifften übergeben, Erkennet das Ambt H. nach gehabtem Rath derer Rechtsgelehrten, vor Recht,

Daß Inquisit C. G. wegen seiner Verbrechen, deren er theils geständig, theils zur Nothdurfft überführet, nach Vorwissen Sr. Königl. Majestät in Preussen, mit Staupenschlägen des Landes ewig zu verweisen. Es ist auch dem Vhrphede dieses, daß er an H. K. oder denen Seinigen sich nicht vergreiffen, noch bey ihm, oder anders wo Feuer anlegen wolle, mit einzuverleiben. V. R. W.

Rationes Decidendi.

Ob wohl Testis 9. 10. 11., ingleichen A. K. einmüthig aussagen, daß Inquisit G. die lästerliche Reden: Christus wäre ein Huren Sohn, it. Christus wäre aus einem Huren Geschlechte entsprossen, in S. Hauße ausgestossen, Testis 12. auch, daß er die letztern geredet, affirmiret; dann Testis 9. 10. und 11. wie Inquisit, ungeachtet man ihm wiedersprochen, dennoch bey seiner Meynung geblieben, beyfügen; Im übrigen die Zeugen von der vormahls von Inquisiten Art. 32. fol. 22. und fol. 40. angegebenen Frage nichts wissen wollen; Hiernechst Inqvisitus selbsten fol. 107. desgleichen fol. 117. gestehet, daß er, Christus sey etc. gesaget, auch wie er damahls so gar übermäßig truncken gewesen, daß er nicht gewust, was er gethan, oder geredet, aus denen Acten gar nicht zu ersehen; Nechst diesem dasienige, so er wieder ein und andern Zeugen anführet, nicht dargethan; Im übrigen aus denen Reichs-Constitutionen, sonderlich der Policey-Ordnung de An. 1577. bekannt, daß dieienigen, welche freventliche, verächtliche, lästerliche Worte ohne Mittel in und wieder Gott, und die allerheiligste

ligste Menschheit Unsers Erlösers Iesu Christi *reden, am Leben zubestraffen; Aldieweiln aber hierunter das Arbitrium Iudicis, besage gedachter Reichs-Constitution, nicht auszuschlüssen, und aus denen Umständen, sonderlich, daß Inquisit, wie die Zeugen zum Theil bekennen, sich auff ein Buch, in specie den Habermann bezogen, fol. 30. b. ad Art. 34. fol. 18. und der Thamar erwehnet fol. 26. fol. 17. b. auch nachgehends gedachtes Buch Testi 9. und 10. iuxta deposit. fol. 114. b. ad Art. 41. gebracht, und daraus seine Meynung behaupten wollen, so viel abzunehmen, daß Inquisit wohl nicht animum blasphemandi directo gehabt, sondern auff das fol. 101. und 102. in Unsern vorigen rationibus, ingleichen fol. 56. ex Habermanno angeführte, sein Absehen gerichtet, über dieses zwischen Testis 9. Reden, und Inquisitens Antwort, deren die Zeugen ad Art. 28. fol. 112. b. gedencken, keine rechte Connexion zubefinden, also, wie G. diese Reden aus Unbedachtsamkeit ausgestossen, es das Ansehen gewinnet; So haben wir dafürgehalten, daß zwar die poena capitalis nicht statt finde, Inquisit aber, sowohl, daß er dasienige, was er aus dem Habermann gefasset, oder sonst gehöret, auff der Bierbanck, auff solche liederliche und höchst ärgerliche Art vorgebracht, als wegen derer wieder* Sr. Königl. Majestät in Preussen *ausgestossenen schimpfflichen und unverantwortlichen Reden und derer angegebenen Bedrohungen, deren er durch Zeugen fol. 27. 29. 111. zur Nothdurfft überführet, nach inhalt des Urtheils zubestraffen.* Interim si coniecturae adsint, his casibus non inuitum uel inuitam deceptum deceptamue esse, illa remedia, quae extorquent ueritatem scientiae uel ignorantiae et consensus, adhibenda erunt.

§. XV.

§. XV.

Sin autem talis casus existat, ut ex errore forte, ludis dum opera datur, quis, cum aliis easdem aedes inhabitans, in alterius incidat uxorem, haecce etiam bona fide existimet, cum marito sibi rem esse; uel si ita quoque fortuna, et ex errore commutentur mariti et uxores; illis casibus, cum dolus absit animusque adulterium committendi, idem licet re ipsa adsit, deficiente tamen animo et proposito adulterii, *l. pen. π. ad L. Iul. de adult.* poena cessabit, quamuis, si fortasse culpa aliqua hac parte admissa, arbitrariam decerni, non sit iniquum. Quae culpa, utut leuissima sit, reos etiam faciet coram Deo in interiori foro, si praesertim, cognito errore, non adeo facti poeniteat, sed, nec ita male factum, existimetur, et delectatio accedat. Plane, si fingamus, personarum usum prohibitum fuisse, uel, ob ebrietatem, incidisse homines illos in errorem, non iuuabit talis error, occasione laruarum commissus. Nam, qui operam dat rei illicitae, ille est in dolo, *l. 5. C. de iniur. l. 52. §. 1. π. ad L. Aquil.* et sic omnia praestare debet, quae ex facto isto postea sequuntur, *l. 38. §. 5. π. de poen. l. 9. C. unde ui.* Atque huc pertinet uulgatissimum illud GROTII: *Inuoluntarium, ex uoluntario ortum, habet rationem uoluntarii.* Interea, si inter coniuges aequalis culpa sit, sibi inuicem crimen obiicere non possunt, nec diuortium petere, cum, quod priuatim interest, paria delicta mutua compensatione tollantur, *l. 40. π. Sol. matr. c. 4. X. de diuort. c. 6. et ult. X. de adult.* ubi *Dd.*

Adulterium, si uoluntas id committendi absit, extra ordinem punitur.

§. XVI.

Indicia adulterii et stupri.

Quod superest, circa hoc delictum, et alia, quae *L. Iul. de adult.* uindicantur, stupro, eoque alio alioque modo comparato, uiolento, e. gr. in curia Principis, commisso, a leui persona honestiori illato, etc. illa repetenda sunt, et huc applicanda, quae alias iure, quo utimur, sunt constituta. Quibus id tantum addimus, haud leue indicium eiusmodi delicti esse, si laruatus quis sedulo affectetur feminas, uel circa cubilia earum deprehendatur, item, si femina iuit laruata cum uiris ad tripudia, uolunt inhonestam et meretriciam uitam inde praesumi, BERTAZ. *Vol. 2. Conf. 311. num. 2.* FARINAC. *Prax. Crimin. Part. V. q. 136. num. 98.* Quod praesertim tum uerum est, si assidue et noctu sequatur laruatorum coetus, aut illis, inuito marito, intersit, qua de re supra actum est, *Cap. 4. Sect. 1. §. 33. seq.* quae hic commemoranda sunt. Vid. *c. 2. X. de adult.* ubi *Dd.* Quomodo uero ista suspicio excludi possit, apud BERTAZ. et CLAVDIVM *ibid. in Addit. litera A.* legitur, itemque apud RIPAM, de *Noct. tempor. c. 36. n. 50.* Quae omnia ad arbitrium iudicis recidunt.

§. XVII.

Volens occidere Titium, et occidens Seium, punitur ordinaria poena.

Sequitur homicidium. Vbi quaeritur: Quomodo debeat puniri, qui uolens occidere Titium personatum seu laruatum incedentem, ex errore tamen occidat Seium, qui etiam laruatus incedit? Non desunt, qui poenam ordinariam hoc casu cessare uolunt, quos recenset CARPZOV. *Pr. Crim. P. I. q. 5. n. 2.*

eorum

eorum rationes adducens. Sed quia, hocce casu, error tantum fuit in persona, nullus uero in proposito, h. e. animus occidendi hominem adfuit, homo etiam est occisus, licet non ille, quem uoluit occisor, hominis itaque caede facta cum uoluntate occidendi, uerum utique homicidium est commissum, atque sic ordinaria et iusta poena uindicandum. Pro qua sententia faciunt *l. 18. §. Si iniuria 3. π. de Iniur. l. 45. §. 4. π. ad L. Aquil. l. 7. C. ad L. Corn. de Sicar. aliique textus*, quos in partes uocat CARPZOV. *Prax. Crimin. P. 1. qu. 5. n. 5.* praesertim autem *Constit. Elect. Sax. 6. P. 4.* Conf. BACHOV. ad TREVTLER. *Vol. 2. Disp. 32. th. 6. lit. A.* B. ZIEGLER. ad GROTIVM *Lib. II. c. 1. §. 4.* Interim tamen id non nego, parricidii poenam tali casu cessare, si ex errore isto is occisus est, cuius necem Lex Pompeia uindicat. Namque parricidii poena, nisi tum, locum non habet, quando ex proposito commissum, *l. 1. π. ad L. Pompei. de parricid.* quod hoc casu dici nequit, atque adeo in simplicis homicidii poena subsistendum erit.

§. XVIII.

Notum est, Dd., qui conscientiam excutiunt, uarie disputare: Num aggrediens, ebrius praesertim et furiosus, occidi possit ab eo, quem aggreditur? Vbi quidem inter omnes conuenit, temperamento inculpatae tutelae adhibito, uiolatum in foro exteriori ab omni poena immunem esse. Sed in conscientiae foro tamen delicti eum arguunt, quod contra Christianam charitatem commissum sit, dum nempe, ut *An aggrediens, ebrius praesertim et furiosus, occidi possit?*

corpus uiolati ſaluum ſit, alter ebrius, qui tamen forte neſcit, quid faciat, ſaltem in animae periculum coniiciatur, quod longe grauius eſt, quam corporis. Paucis, exiſtimant, pereundum eſſe, quam uitam ſeruare cum alterius damno uitae aeternae. At uero, periculoſam hanc ego ſententiam eſſe, ſemper arbitratus ſum. Nam quis in tam ſubito caſu certus poteſt de ſe eſſe: Num ipſe in tali ſtatu ſit, ut nullum animae periculum ſibi metuendum? Et quis etiam ſponſor eſt, hoc, ſuo damno et periculo, id effici, ut aggrediens indubie aeternas flammas euitet? Quin et diligere debemus proximum ſicut nos ipſos: diligere autem illum ante nos ipſos nulla lex exigit, nulla etiam ſic nos obligat, ut uitam et ſalutem propriam alterius uitae et ſaluti poſtponamus. Immo non male dicitur peccare ille, qui ſecus facit, CARPZOV. *Pr. Crimin. P. I. qu. 32. ſeq.* OSIANDER ad GROT. *Lib. 2. cap. 1. ad th. 3. et 5.* et qui ibidem citantur.

§. XIX.

Laruatus quiſque, et Princeps, occidi poteſt.

His poſitis fundamentis, ea, quae dixi, ad laruatum multo magis pertinere, licet ebrius aut furioſus ſit, uidentur. Nam, cum neſciamus, quis ille ſit, et annon ſimulet ſeſe inebriatum uel furioſum, maius inde periculum expectandum nobis eſt, atque eo minus dubitandum, cum temperamento illo aggredientem licere occidere in utroque foro, PEGVERA, *Deciſ. Crim. 14. n. 15.* PACICHELL. de *Laruis c. 8. p. 122.* Etſi autem alias facile aſſentior GROTIO, *Lib. 2. c. 1. §. 9. de I. B. et P.* et OSIANDRO *ibid.* in reddendis rationibus ſenten-

ſententiae ſuae, diſcrepantibus licet, defenſionem iſlam ſuſcipi non debere aduerſus inuadentem Principem, cuius uita multis utilis eſſe poteſt. Quod bene obſeruauit Comes Taurellus, qui aduerſus Alexandrum Parmenſem, Principis ſui filium, quamuis laceſſitus noctis tempore, agnito Alexandro, abiecit ferrum, et reuerenter ueniam orauit, quod in ſuum Principem neſcius, licet prouocatus, arma temere ſumſiſſet, FAM. STRADA de *Bell. Belg. Decad. lib. 9. pag. 463.* BOECLER. ad GROTIVM *d. l.* Interea tamen, ſi Princeps, ſub perſona latens, aggrediatur alium, ſubditum etiam, qui plane ignorat, Principem hunc eſſe, et hic ita occidatur, non uideo, quomodo, ſi cetera crimine careant, occidenti, qui extra omnem dolum eſt ac culpam, crimen obiici et peccatum, aut poena infligi poſſit. Vaſallum, quem eum dicimus, qui non eſt ſubditus, recte ſentiunt Dd., aduerſus dominum defenſione neceſſaria uti poſſe, ANTON. *Diſp. Feudal. XI. th. 3.* Vid. B. DN. HORN. *Iuriſprudent. Feudal. cap. 23. th. 2. p. 524.* atque adeo multo magis tum, ubi laruatus dominus inſcium aggreſſus uaſallum, prouocatio ad neceſſariam proderit defenſionem. Maxime, ubi lex extat, quae cuique facultatem impertitur impune eos interficiendi, et mandat pagorum colonis, ut contra illos pulſent campanas, eos capiant et interficiant, conceditque eorum arma, equos, denarios, et quodcunque penes illos reperitur, interfectoribus, qualis in Republica Veneta Ann. 1549. data fuit, nemo dubitabit, aggredientem hunc impune occidi poſſe. Quam legem tamen, puto, ad

illos pertinuisse, qui, non laetandi, sed grassandi aut rapiendi caussa, laruas sumserunt. Confer. LOSSAEVS, de *Iur. uniuers. Part. 4. n. 91. seqq. p. m. 354.*

§. XX.

Laruatus, per uim stuprum feminae intendens, occidi potest.

Pariter, si fortasse laruatus per uim stuprum inferre uelit feminae, pro pudicitia seruanda, si aliter periculum effugere non possit, occidere licet impune hominem improbum, atque sic tali facinore pudorem defendere, GROTIVS, *Lib. 2. c. 1. §. 7.* ibique ZIEGLER. Id quod ita temperandum est, ut non temere, ob qualemcunque pudicitiae oppugnationem, occidere liceat, sed ubi temeritas uires cepit, et ad prostrationem corporis aut alia processit, ZIEGLERVS *d. l.* Interim non iniquum est, in foro soli a consueta poena homicidii absolui eam, quae iniuriae intentatae, quamuis non longe progressae, atrocitate mota, minantem interfecit. Qua in re multum iudicis arbitrium potest, quod, omnibus, quae rem comitantur, accurate expensis, de poena demum statuere debet.

§. XXI.

Pater et maritus laruatos occidere qui possit?

Quousque patri et marito impune in foro exteriori occidere liceat, satis constat ex *l. 4. C. ad L. Iuliam de Adult. l. 22. seq. l. 38. §. 8. 9. π. Eod. Auth. Si quis. C. d. t. Nouell. 117. c. 15.* Licebit ergo ita et tum, si laruatus deprehensus fuerit. Quae res, etsi in dignitate sit constitutus, dabit occasionem se excusandi, dum, feruente ira, et ob laruam, dignosci non potuit, quisnam sit, qui iniuriam inferat, et iustum excitet

tet hunc dolorem. In foro tamen conſcientiae hoc tale factum nunquam ſine labe dimittetur, ZOES. ad *π. d. l. num. 7. 8.* B. ZIEGLER. ad GROTIVM *L. 2. cap. 1. §. 7.*

§. XXII.

Laruatus, cum armis ambulans, an capitis reus ſit?

Arma geſtare prohibitum eſſe plerumque, ubi coetus laruatorum coguntur, ſupra diximus. Notum etiam eſt ex *l. 1. π. ad L. Cornel. de Sicar.* illum in poenam *L. Corneliae de Sicariis* incidere, qui, occidendi cauſſa, cum telo incedit. Quam ob rem arbitrari quis poſſet, eum, qui tali caſu, ita perſonatus cum armis ambulat, ut hominem occidat, poena capitali afficiendum eſſe, licet nihil attentauerit, ob duplex interdictum, quod hic concurrit. Sed propterea tamen, quod hodie, ut omnes ſentiunt, illa deambulatio cum telo, interficiendi cauſſa, ſola non ſufficit ad poenam gladii, CARPZOV. *Pr. Crim. qu. 2. n. 54.* et qui ibidem afferuntur; iſtud etiam armorum interdictum non fieri temere ſolet ſub capitis ſupplicio: non exiſtimarim, gladium ultorem eiuſmodi hominem perſequi debere. Quod ſi tamen lex extaret, quae ſub mortis poena arma geſtare prohiberet, aliud utique dicendum foret. Immo, non extante tali lege, ſi ad caedem proxime proceſſit temerarius homo, homicidium tamen non fuit ſecutum, ultimo ſupplicio affici poſſe pro re nata, non dubitarim, praeſertim, ſi in loco, priuilegiis munito, aula ſcilicet Principis, etc. CARPZOV. *Pr. Crim. P. 1. quaeſt. 40. n. 30. ſeqq.* aliiſque conditionibus ex *l. 16. §. 1. π. de poen.* cum extraordi-

ordinaria poena ad mortem etiam extendi possit, CARPZOV. *Pr. Crim. P. 3. qu. 119. n. 16. 17. et qu. 133. num. 9.* RAYNALD. in *Obseru. mixt. L. 2. §. 33 34. n. 20.* PACICHELL. de *Laru. cap. 8. p. 121.* Quod in primis ad assassinos pertinet, quos, si eorum temeritas ad caedem proxime peruenit, post capitis supplicium, rotae imponi posse, CARPZOVIVS docet, *cit. Tr. P. I. qu. 19. num. 52. 53.* Quin et idem de eo uideri potest, qui, crimen laesae maiestatis, arma gestans, committere conatus est, quod crimen hoc peculiare habet, ut conatus eadem seueritate, qua delictum ipsum, puniatur, *l. 5. C. ad L. Iul. Maiest.* CARPZOV. *Pr. Crim. P. I. qu. 41. n. 4.*

§. XXIII.

Qui dolo malo et in fraudem alius alieno uestitu utuntur, pro arbitrio puniuntur.

Qui uestes fictititas induunt, frequenter etiam incidunt in crimen falsi, si nempe dolo malo in fraudem alius alieno uestitu uirili uel femineo utuntur. Qua de re legi potest ZAHN. de *Mendac. Lib. 2. cap. 47. n. 2. seq.* FARINAC. *Prax. Crim. Part. VI. qu. 150. n. 80. seq.* ubi nominatim de illis agit, qui ad decipiendos alios induunt uestitum sacerdotalem. Quae delicta arbitraria poena uindicari, neminem fugit, CARPZOV. *Pr. Crim. P. 2. qu. 93. n. 17. 18. 19 20. seqq.* Quod si autem non dolo et laedendi, sed iocandi tantum uel laetandi caussa, habitus alienus sumatur, crimen falsi utique cessat, quippe quod sine dolo non committitur, *l. Nec exemplum 20. C. ad L. Cornel. de fals. l. 23. 27. 31. π. Eodem.* Scilicet, qui iocatur, non mentitur, nec inhoneste homines decipit, *l. 13. l. 14. π. de interrogat.* CVIAC. ad *d. l. 13. π. Eod.* quamuis factum hocce in aliud delicti genus, e. c. iniuriam, incidere

incidere possit. Crimen tale falsi maximopere sapere uideretur actio Rebeccae et Iacobi, qui illius iussu atque consilio personam Esaui induebat, atque huius uestium beneficio, Isaacum eo adducebat, ut preces ac uota, quae natu maiori ipse quidem destinauerat, Iacobo impertiretur; nisi sciremus, Rebeccam et Iacobum, quicquid hic factum, ex fide, coelesti nitentes oraculo ac fratrum foedere, suscepisse, totamque hanc actionem diuino afflatu gestam esse, ideoque dolum et mendacium produci hic non debere. Videatur B. GESNERVS et CALOVIVS in *Cap. XXVII. Genes.* Potius huc referendi sunt illi, qui laruam Principis uel Comitis gerunt, h. e. Principes fictitios seu Comites agunt, quorum quam plurima exempla prostant, qui maximas turbas dederunt, ac legi possunt apud ZAHN. de *Mendaciis, Lib. 2. c. 63. n. 2. p. 274.* NICOL. PFRETHS. de *Famil. p. 86. 87.* Item illi, qui laruati lusu chartarum, uel taxillorum alioue modo decipiunt alios, quod uulgo uocant, *die so falsche Mummen Schantzen schlagen*, qui, non quidem ob laruas, sed ob falsos iactus alearum uel chartarum, furti sunt rei, delictum tamen augent per laruas, quia ignoti decipiunt, LANGLAEVS, *Semestr. Lib. 8. cap. 9.* CARPZOV. *Pr. Crim. Part. 2. qu. 93. n. 92.* ubi Praeiudicium Scabinorum Lipsiensium.

§. XXIV.

Vis publica (Robbaria) et priuata quomodo coerceatur, explicant *Dd.* ad *§. 8. I. de Publ. Iud.* et CARPZOV. *Pr. Crim. P. 1. qu. 40. et P. 2. qu. 90.* Confer. *Vis publica, sub personis illata, grauius punienda.*

DN. PARENS *Oeconom. Iur. lib. 3. tit. 9.* §. *10. pag. 786.* et *Elect. Iurisprud. Crim. pag. 65.* Non raro contingit, improbos homines perſonis uti, atque ſub illis quaerere flagitio tutamen, qui eo grauiori poena digni ſunt, quo difficilius dignoſci poſſunt, atque ad ſupplicium, quod meriti ſunt, rapi.

§. XXV.

Plagiarios Lex Fabia coercet.

Idem facere ſolent, qui plagium committere uolunt, ut eo ſecurius latitent, atque homines abducere poſſint. Quos *Lex Fabia de plagiariis* perſequitur. Circa reliqua delicta publica nihil peculiare obſeruandum uenit, adeoque argumentum hocce dimittimus, illud tantummodo obſeruantes, aduerſus laruatos delinquentes ex officio procedi poſſe, quod etiam annotauit PACICHELLIVS *c. 8. p. 123.* Dantur etiam caſus, ubi laruati uel perſonati ad ſupplicium ducti, illudque paſſi ſunt. Meminimus, Principem aliquando Imperii iuſſiſſe, ut ſtellio quidam, peritiam aurum faciendi prae ſe ferens, poſt multas fraudes patibulo, ueſte auro fictitio ſplendida indutus, concrederetur. Vidimus etiam mulieres, uirili habitu indutas, quo deprehenſae ſunt, in ergaſteriis inter alias meretriculas petulantiae poenas dare. Porro executio in effigie haud immerito laruata dici poteſt, eo modo, quo laruata funera ſupra diximus, qua de executione extant *Diſſertationes* B. STRVVII et IO. ANDREAE FROMMANNI, itemque D. CHRISTIANI HOFFMANNI *Diſputatio* de *In Effigie Suſpenſo, Vitembergae ann. 1711.* habita. Quam praedictam Diſſertationem FROMMANNI Anonymus quidam, nomine IVSTINIANVS AVLICOIENVS, *Anno 1709.* idiomate noſtro donauit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Vt tandem etiam ex Iure Feudali aliquid admiſceamus, quaeri poteſt: An delictum feudale commiſſum fuerit et felonia, ſi laruatus oſculum uxori domini dederit, uel turpiter cum ea laruata luſerit, uel etiam illam cognouerit? Sane omnibus hiſce caſibus feloniam committi, feudi priuatione dignam, ex *I. Feud. 5.* ſatis notum eſt, etiamſi uolenti tale quid uxori domini fuerit factum, quoniam et ſic fidem domino datam uiolat, SCHRADER. de *Feud. P. 9. cap. 2. n. 29.* Sed poſtquam tamen Feudiſtae aſſertum hocce ſemper temperant, ſi ignorauerit eſſe uxorem domini, SCHRADER. *P. 2. 9. Sect. 7. qu. 22. n. 64.* cum ſic abſit animus dominum laedendi: nec aliud de tali caſu aiendum eſt, ſi laruatus domini uxorem laruatam cognouerit, uel cum ea luſerit turpiter. Exiſtimarem tamen, et hic eſſe diſtinctionem adhibendam, quam ſupra ſuggeſſimus, ubi de adulterio quaeſtio fuit. Idem de illis dicendum conditionibus, ſi cum domini filia, aut cum nepte ex filio, aut cum ſorore domini, quae in eius domo eſt, quis concubuerit, *I. Feud. 5. II. Feud. 24.* ubi BITSCHIVS. Confer. etiam B. DN. HORN. *Iuriſprudent. Feud. cap. 23. th. 8. p. 527.*

Felonia committitur, ſi laruatus domini uxori oſculum dedit.

§. XXVII.

Poſſent adhuc uaria adduci, quae cum his rebus habent affinitatem, de alea ſcilicet, ludis etc. quae agunt. Sed quoniam opera haecce praeter ſpem creuit, placet hic impoſuiſſe finem.

Formula finalis.

Non alienum eſt ab hoc loco, *Ordinationem Romanam de Maſcheris*, apud PACICHELLIVM *p. 105.* lingua Italica conceptam, ſubiici.

Bando Romano ſopra le Maſchere, e Corſi de' Palii.

I. *DEſiderando l' Illuſtriſſimo, e Reuerendiſſ. Sig. Monſ. Gio: Battiſta Spinola, di Roma, e ſuo Diſtretto Governatore Generale, e Vice-Camerlengo provedere d' opportuno rimedio, acciòche il proſſimo Carnevale ſi facci con la dovuta quiete, e ſenza diſordini, e ſcandali. Perciò con autorità della ſua carica, e per ordine havuto à bocca dalla Santità di Noſtro Sig. rinuova li Bandi altre volte publicati, ed in vigore d' eſſi nuovamente prohibiſce tutte, e ſingole coſe contenute nelli ſeguenti Capitoli, ſotto le pene in eſſi eſpreſſe.*

2. *Che neſſuna perſona di qualſivoglia ſtato, grado e conditione vadi con la Maſchera al volto, ò porti Buffe, Papafichi, Bocchingambi, ò habiti finti prima di mezzo giorno, nè doppo un' hora di notte, ſotto pena di trè tratti di corda, e di ſcudi cento d' oro.*

3. *Il Maſcherarſi, ò traveſtirſi, come ſopra, il Venerdì, la Domenica, ed altre feſte commandate, ſotto pena di trè tratti di corda, e della perdita degli habiti, e ſcudi cento d' oro in ciaſchedun di detti caſi.*

4. *E negli altri giorni maſcarandoſi, non poſſano in modo alcuno uſar habiti Eccleſiaſtici, ò Religioſi veri, ò finti, ò vero*

ò vero habiti indecenti da dare ſcandalo. Riſervandoſi l' arbitrio di Sua Signoria Illuſtriſſ. di dichiarare, quali ſiano gli habiti ſudetti, e li traſgreſſori ſaranno ſubito irremiſſibilmente puniti.

Il portare, ò far portare ad altri non oſtante qualſi- 5.
